# DE
# ALCMAEONE CROTONIATA

SCRIPSIT

IOANNES WACHTLER.



LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.
MDCCCXCVI.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

# Prima pars.

## De Alcmaeonis aetate, vita, libro.

Alcmaeo Crotoniata quibus temporibus vixerit quaerentibus celeberrimus nobis occurrit Aristotelis ille locus Metaph. A 5 p. 986a 22: *ἕτεροι δὲ τῶν αὐτῶν τούτων τὰς ἀρχὰς δέκα λέγουσιν εἶναι τὰς κατὰ συστοιχίαν λεγομένας, πέρας καὶ ἄπειρον, περιττὸν καὶ ἄρτιον, ἓν καὶ πλῆθος, δεξιὸν καὶ ἀριστερόν, ἄρρεν καὶ θῆλυ, ἠρεμοῦν καὶ κινούμενον, εὐθὺ καὶ καμπύλον, φῶς καὶ σκότος, ἀγαθὸν καὶ κακόν, τετράγωνον καὶ ἑτερόμηκες. ὅνπερ τρόπον ἔοικε καὶ Ἀλκμαίων ὁ Κροτωνιάτης ὑπολαβεῖν, καὶ ἤτοι οὗτος παρ' ἐκείνων ἢ ἐκεῖνοι παρὰ τούτου παρέλαβον τὸν λόγον τοῦτον· καὶ γὰρ ἐγένετο τὴν ἡλικίαν Ἀλκμαίων ἐπὶ γέροντι Πυθαγόρᾳ, ἀπεφήνατο δὲ παραπλησίως τούτοις. φησὶ γὰρ εἶναι δύο τὰ πολλὰ τῶν ἀνθρωπίνων, λέγων τὰς ἐναντιότητας οὐχ ὥσπερ οὗτοι διωρισμένας ἀλλὰ τὰς τυχούσας, οἷον λευκὸν μέλαν, γλυκὺ πικρόν, ἀγαθὸν κακόν, μέγα μικρόν. οὗτος μὲν οὖν ἀδιορίστως ἀπέρριψε περὶ τῶν λοιπῶν, οἱ δὲ Πυθαγόρειοι καὶ πόσαι καὶ τίνες αἱ ἐναντιώσεις ἀπεφήναντο. παρὰ μὲν οὖν τούτων ἀμφοῖν τοσοῦτον ἔστι λαβεῖν, ὅτι τἀναντία ἀρχαὶ τῶν ὄντων· τὸ δ' ὅσαι παρὰ τῶν ἑτέρων, καὶ τίνες αὗταί εἰσιν κτλ.* Quae verba num omnia iure Aristoteli tribuantur Brandisius[1]) et Zellerus[2]) et Schweglerus[3]) et qui post Unnam[4]) iterum Alcmaeonis fragmenta edidit Sanderus[5]) dubitant et imprimis sententiolam illam interiectam *καὶ γὰρ ἐγένετο τὴν ἡλικίαν Ἀλκμαίων ἐπὶ γέροντι Πυθαγόρᾳ* ut extrinsecus falso additam delere itaque legere malunt: . . . . *ὅν-*

1) *Handbuch der Geschichte der griech.-röm. Philosophie* I 507.

2) *Philosophie der Griechen* I[5] 1, 488.

3) Comment. ad Arist. Met. l. l.

4) In Peterseni *Philologisch-historische Studien* (Hamburgi 1832).

5) *Programm von Wittenberg* No. 259 (1893).

*περ τρόπον ἔοικε καὶ Ἀλκμαίων ὁ Κροτωνιάτης ὑπολαβεῖν καὶ ἤτοι οὗτος παρ' ἐκείνων ἢ ἐκεῖνοι παρὰ τούτου παρέλαβον τὸν λόγον τοῦτον· καὶ γὰρ Ἀλκμαίων ἀπεφήνατο παραπλησίως τούτοις· φησὶ γὰρ κτλ.*

Et sane gravissima illi afferre videntur argumenta: deesse haec verba in optimo metaphysicorum codice $A^b$, a scholiastis nil curari, prorsus supervacanea esse.

Neque tamen viris illis praeclarissimis assentiar. Quamquam enim suo iure codicem $A^b$ optimum metaphysicorum testem esse contendunt, tamen uno alterove loco alterum quoque codicem inter ceteros longe praestantem E meliora praebere vix erit quod negemus. Atque Schweglerus quidem, qui omnes fere sententiolas ab $A^b$ omissas spurias esse sibi constare profitetur, quin severius de codice E iudicaverit dubitari nequit. Multo lenius Bonitzius se gessit, qui saepius codicis E contra $A^b$ tutor atque patronus exsistit et verba ab $A^b$ omissa defendit (cf. ad 981 b 5, 989 a 26, 1003 a 31 etc.). Idem ad 981 b 5 (tom. II 43) 'codici $A^b$' inquit 'in consensu reliquorum prope omnium tantum tribuere auctoritatis (scil. quantum Schweglerus) dubitaverim (vide I p. XV), praesertim cum saepius in eo libro aliquot verba omissa esse e varia lectione facile cognoscatur'. Christius vero, qui post Bonitzii curas iterum codices contulit, codicem E prae $A^b$ etiam a Bonitzio nimis spretum esse iudicat (in edit. Teubn. praefat. pag. VIII). Mihi quoque omnes eos locos ubi in codice $A^b$ deesse quaedam videantur diligenter inspicienti atque studiose perpendenti saepissime ea quae exhibet E ab Aristotele minime aliena esse visa sunt. Sed cum qui haec quae plerumque ex ipsa sententiarum progressione disceptari nequeant diiudicare velit prorsus sese immerserit necesse sit in Aristotelis et ratiocinandi et loquendi rationem, veritus ne parum modeste me geram de solo loco Alcmaeoniano verba hic facere volo.

Ipse Zellerus perantiquam esse interpolationem concedit, cum Iamblichi illud (vita Pythag. 104) *καὶ γὰρ οἱ ἐκ τοῦ διδασκαλείου τούτου* (scil. *τοῦ Πυθαγορείου*) *μάλιστα δὲ οἱ παλαιότατοι καὶ αὐτῷ συγχρονίσαντες καὶ μαθητεύσαντες τῷ Πυθαγόρᾳ πρεσβύτῃ νέοι Φιλόλαός τε καὶ . . . . . Ἀλκμαίων κτλ.*

ex Aristotele fluxisse dicat.[1]) An veri similius Neopythagoreorum aliquem, cum suae sectae Alcmaeonem annumerari vellet, Pythagorae eum fuisse aequalem verbis Aristotelicis addidisse? At minime dubium quin talis homo non aequalem verum discipulum Pythagorae Crotoniatam fuisse praedicaverit, cui rei ipsius Iamblichi verba testimonio sunt. Itaque verba illa Aristotelica Neopythagoreorum aetatem sine dubio antecedunt. Iam etiamsi quis Alexandreae, ubi multas et gravissimas maculas textui Aristotelico aspersas esse constat, a lectore quodam sedulo annotata, postea in textum recepta ea esse coniciat, idem hoc certe concedat necesse est, annotationem illam non antiquissimam solum, sed etiam fide prorsus dignam esse, cum Alexandrinis grammaticis ipso Alcmaeonis libro uti etiamtunc licuerit (cf. pag. 33).

At, inquiunt isti, negligitur illud enuntiatum interpretibus antiquis! Habemus duo in hunc metaphysicorum librum commentaria, scil. Asclepium et Alexandrum. Quid Asclepius? *Ἱστορεῖ δὲ* (sc. Aristoteles) *ὅτι καὶ Ἀλκμαίων ὁ Κροτωνιάτης τὸν αὐτὸν τρόπον τούτοις ἀπεφήνατο· εἰς γὰρ ἐναντίωσίν τινα ἕκαστον τῶν ὄντων ἀνάγειν ἐπειρᾶτο καὶ οὗτος ὡς ἀρχῶν οὐσῶν τῶν ἐναντιώσεων. καὶ ἢ οὗτος παρὰ τῶν Πυθαγορείων παρέλαβεν ἢ οἱ Πυθαγόρειοι παρὰ τούτου· καὶ γὰρ κατέλαβεν ὁ Ἀλκμαίων γέροντα τὸν Πυθαγόραν κτλ.* (pag. 39, 21 Hayduck). At neminem, opinor, qui Alexandri Asclepiique commentarios paullo diligentius tractaverit fugiet ut ab Alexandro codicis $A^b$ ita ab Asclepio codicis E lectiones non semper, saepissime tamen adhiberi, id quod hic quoque factum esse inde constat, quod paullo post (pag. 986a 34) *μέγα μικρόν* Alexander cum $A^b$, *μικρὸν μέγα* Asclepius cum E praebet. Quid? Hoc si constat, nonne Alexandri quoque silentio omnem vim probandi exsectam esse vides? Ceterum Alexander non is est qui scholastico more Aristotelis verba digito sequatur, sed cum philosophia unice ei cordi sit, res historicas praesertim tam apertas intelligentiae auditoris vel lectoris committere solet. Praeterea verba illa Alexandrum non legisse ut ex ipso eius loco demon-

1) Quo ex fonte Laertium quoque Diogenem (VIII 83 *καὶ οὗτος Πυθαγόρου διήκουσε*) sua hausisse iudicaverim.

stretur vereor ne fieri non possit. En verba Aphrodisiensis (p. 42, 3 Hayduck): *ἱστορεῖ δὲ ὡς Ἀλκμαίωνος τοῦ Κροτωνιάτου τὸν αὐτὸν τούτοις τρόπον περὶ ἀρχῶν ἀποφηναμένου. εἰς γὰρ ἐναντίωσίν τινα ἕκαστον τῶν ὄντων ἀνάγειν ἐπειρᾶτο καὶ οὗτος ὡς ἀρχῶν οὐσῶν τῶν ἐναντιώσεων. διαφέρει δὲ τῶν Πυθαγορείων ὅτι οἱ μὲν δεκάδας ποιοῦντες ταύτας μὲν ἐξετίθεντο ὁρίζοντες, ὁ δὲ τὴν τυχοῦσαν ἐναντίωσιν ἀρχὴν ἔλεγεν ἀδιορίστως· οὕτως δὲ πᾶσα ἂν ἐναντίωσις ἀρχὴ γίνοιτο αὐτῷ. κοινὸν μὲν οὖν Πυθαγορείων οἳ ταύτης ἐγένοντο τῆς δόξης καὶ Ἀλκμαίωνος τὸ ἐναντίας εἶναι τὰς ἀρχὰς τῶν ὄντων· πόσαι δὲ καὶ τίνες αὗται τῶν Πυθαγορείων ἴδιον.* Sed aut egregie fallor aut causa omissionis perspicua est. Totam enim Aristotelis dubitationem, uter ab utro doctrinam acceperit, silentio praeterit: quid igitur mirum quod ne enuntiati quidem illius interiecti mentionem fecit? Itaque scholiorum testimoniis hac in re diiudicanda nil proficimus neque facere possum quin alteram athetesis causam quidquam valere negem.

Denique quamquam cum Zellero res mihi est, verba illa supervacanea non esse confidenter contenderim. Nempe Aristoteles non casu factum esse ratus ut idem fere illi de principiis docerent, tamen uter doctrinae auctor fuerit dubitare sese leviter significat (*ἤτοι — ἤ*). Cur dubitat? Sequamur Zelleri textum: *ὅνπερ τρόπον ἔοικε καὶ Ἀλκμαίων ὁ Κροτωνιάτης ὑπολαβεῖν καὶ ἤτοι οὗτος παρ' ἐκείνων ἢ ἐκεῖνοι παρὰ τούτου παρέλαβον τὸν λόγον τοῦτον· καὶ γὰρ Ἀλκμαίων ἀπεφήνατο παραπλησίως τούτοις. φησὶ γὰρ κτλ.* Hancine causam esse putabimus cur quaestionem de auctore integram relinquendam esse ille censuerit?[1]) Immo haec similitudo causa est cur Pythagoreos Alcmaeonemque omnino comparet. Sed nobiscum reputemus, quomodo nos rem diiudicare soleamus,

1) Dixerit quis tertia sententiola (*καὶ γὰρ* . . .) confirmari primam (*ὅνπερ τρόπον* . . . . . *ὑπολαβεῖν*), ita ut secunda (*καὶ ἤτοι* . . . . *τοῦτον*) parenthesis loco posita sit. Sed si conectimus *ὅνπερ τρόπον ἔοικε καὶ Ἀλκμαίων ὁ Κρ. ὑπολαβεῖν* . . . . *καὶ γὰρ Ἀλκμαίων ἀπεφήνατο παραπλησίως τούτοις· φησὶ γὰρ κτλ.*, non solum iteratum nomen *Ἀλκμαίων* nos offendit, sed etiam totum enuntiatum *καὶ γὰρ* . . . *τούτοις* plane est supervacaneum. Cf. Arist. de an. I 2, 405 a 29: *παραπλησίως δὲ τούτοις καὶ Ἀλκμαίων ἔοικεν ὑπολαβεῖν περὶ ψυχῆς· φησὶ γὰρ αὐτὴν ἀθάνατον εἶναι κτλ.*

cum similibus quibusdam opinionibus propositis dubitamus uter ab utro didicerit. Nonne temporum iudiciis?[1]) Itaque aliquid excusandum erat Aristoteli, cur his non usus sit; neque officio suo ille deest; addit enim: *καὶ γὰρ ἐγένετο τὴν ἡλικίαν Ἀλκμαίων ἐπὶ γέροντι Πυθαγόρᾳ*, ita ut prope aequales fuerint atque neuter prior neuter posterior putandus sit. Ad vitae igitur aetates cum reduci nequeat quaestio, integram eam relinquere mavult.[2]) Itaque non temere haec addita sunt, immo ad sententiam perspiciendem necessaria et genuina ea esse concedendum est. Nam Gruppei opinio (*Fragmente des Archytas* pag. 54) qui nimia in ea quae tradita sunt audacia ac libidine scribi iubet *ὅνπερ τρόπον καὶ Ἀλκμαίων ἔοικε ὑπολαβεῖν· φησὶ γὰρ κτλ.* (cf. pag. 6 annot. 1) ceteris omnibus deletis, non eget refutatione; neque enim cuiquam ille persuasit.

Quaeritur tamen num fides habenda sit Aristoteli, quem haud uno loco in rebus historicis errasse videamus. Sed consideremus oportet ad philosophiae studia hanc quaestionem pertinere, quibus ante omnes ille floruit; praeterea de Pythagoreis verba hic fieri, de quibus quam caute ille iudicaverit nemo nescit. Denique de Alcmaeone dicitur, cui imprimis operam illum navasse docet liber, quem *πρὸς τὰ Ἀλκμαίωνος* composuit cuiusque exstat memoria apud Laert. Diog. V 95. Atque hanc Aristotelis definitionem ex ipsius Alcmaeonis libello sumptam esse locupletissimus testis ipse offertur Alcmaeo, cuius verba ex initio libri deprompta atque a Laertio servata *Ἀλκμαίων Κροτωνιήτης τάδε ἔλεξε, Πειρίθου υἱός, Βροντίνῳ καὶ Λέοντι καὶ Βαθύλλῳ* amicitia eum iunctum fuisse ostendunt cum Brontino[3]), quem non solum inter primos Pythagoreos

1) Temporum rationes saepius velut in transcursu pressis verbis Aristoteles stringit, ut Met. A 3, 984 a 11: *Ἐμπεδοκλῆς τὰ τέτταρα* (scil. *στοιχεῖα ἀρχὰς ἐτίθει*) .... *Ἀναξαγόρας δὲ ὁ Κλαζομένιος τῇ μὲν ἡλικίᾳ πρότερος ὢν τούτου, τοῖς δ' ἔργοις ὕστερος ἀπείρους εἶναί φησι τὰς ἀρχάς*.

2) Quae extrema dixi, iam Krischeus (*Forschungen zur alten Philos.* I 68) leviter significat his: „*Aristoteles schiebt die Worte zur Rechtfertigung seiner Unentschiedenheit ein*".

3) vel potius Brotino (cf. Usenerum ad Syriani comment. in Aristot. Metaph. 926 a 2). Cf. quae de eo contulit Unna l. l. pag. 43.

numerandum esse, sed etiam aut socerum aut generum Pythagorae fuisse non incredibiliter tradunt Diogenes (VIII 42) et Iamblichus (v. Pyth. 267). Obstat Menagius (comment. in Diog. Laert. vol. II 370 Hübner) qui Leontem eundem esse putat cuius mentionem facit Proclus ad prim. Euclidis de elem. pag. 66, 18 Friedlein: *Λεωδάμαντος δὲ νεώτερος ὁ Νεοκλείδης καὶ ὁ τούτου μαθητὴς Λέων. οἳ πολλὰ προσεπόρισαν τοῖς πρὸ αὐτῶν.* Sed recte Krischeus (l. l. pag. 70, 3) multo post Alcmaeonem illum vixisse suspicatus est, cum clarissimum erroris documentum promere posset ex eiusdem Procli verbis hisce: *Εὔδοξος ὁ Κνίδιος, Λέοντος μὲν ὀλίγῳ νεώτερος, ἑταῖρος δὲ τῶν περὶ Πλάτωνα γενόμενος* (pag. 67, 2 Friedlein). Neque magis quae Diogenes tradit prooem. 12[1]) huc pertinent. Immo recte Krischeus Alcmaeonis amicum censet esse illum Pythagoreum quem Iamblichus (v. Pyth. 267) Metaponti natum esse narrat. — Bathylli autem memoria apud eundem exstat inter Posidoniatas Pythagorae asseclas.

Neque tamen desunt qui vel multo post vel multo ante eum vixisse contendant. Quorum e numero qui antiquissimus est Sophonias[2]) vana coniectura manifesto utitur (cf. h. diss. pag. 31 n. 3). Iam Windelbandius (*Gesch. d. griech. Philos.*[2] pag. 66) nescio qua de causa Philolai, quem ipsum paullo ante Socratem natum esse censet, aequalem fortasse paullo maiorem eum fuisse vult. Denique Sittelius (*Griech. Litteraturgesch.* II 487) Pittaci eum temporibus vixisse contendit, nisus in Cyrilli[3]) hisce: *τριακοστῇ δευτέρᾳ ὀλυμπιάδι Ἀλκμαίων καὶ Πίττακος ἐκ Μυτιλήνης οἱ τῶν ἑπτὰ σοφῶν.* Qua in re egregie fallitur. Hillerus enim (Mus. Rhen. XXV 253 sqq., cf. Gelzer Africanus II pag. 97 sqq. 107) haud dubium reliquit quin Cyrillus ex Eusebio sua hauserit. Itaque conferamus oportet cetera Eusebii vestigia (Euseb. II 86 sq. Schöne):

1) *Πυθαγόρας ἐν Σικυῶνι διαλεγόμενος Λέοντι τῷ Σικυωνίων τυράννῳ κτλ.* Cf. VIII 8.

2) *οἱ περὶ Πλάτωνα καὶ Ξενοκράτην καὶ Ἀλκμαίωνα καὶ ἕτερος ἐκ τοῦ Σωκρατικοῦ διδασκαλείου* (ad Arist. d. an. I 2, 404 a 19 = pag. 11, 25 Hayduck).

3) Contra Iulianum 1 = Opp. omnia VI B 12 Lutet. 1638.

| Hieronymus a. Abr. 1360 Ol. XXXI. | Versio Armenia a. Abr. 1360. | Syncellus p. 402, 6. |
|---|---|---|
| Alcmeon clarus habetur et Lesches Lesbius qui parvam fecit Iliadem. | Delches (sic!) qui parvam Iliadem fecit et Alcmaeon cognoscebantur. | *Λέσχης Λέσβιος ὁ τὴν μικρὰν ποιήσας Ἰλιάδα καὶ Ἀλκμαίων ἤκμαζεν.* |

Vides extrema Cyrilli verba, quibus tota Sittelii coniectura nititur (nam cetera in Alcmanem poetam qui illis fere temporibus floruit optime quadrant), apud Eusebium plane hic certe deesse. Quae unde sumpserit Cyrillus et quanti sint aestimanda haec docet comparatio (Euseb. pag. 91 Schöne):

| Hieronymus a. Abr. 1408 Ol. XLIII. | Versio Armenia a. Abr. 1409 Ol. XLIII. | Syncellus p. 403, 14. |
|---|---|---|
| Alcman ut quibusdam videtur agnoscitur . . . . . Pittacus Mytilenaeus qui de septem sapientibus fuit (sic!) etc. | Pittac Mitêlenaeus unus e septem sapientibus etc. | *Ἀλκμὰν κατά τινας ἐγνωρίζετο.* |

Recte igitur in Cyrillo correxit Menagius *ὁ τῶν ἑπτὰ σοφῶν.*[1])

Eodem modo poeta atque philosophus confunduntur ab Antigono Carystio (hist. mirab. c. 95) *ἐν δὲ τῷ σώματι τῶν ἀνθρώπων γίνεσθαι οἷον ἰόνθους μικρούς. τούτους δὲ ἐάν τις κεντήσῃ, ἐξέρχεσθαι φθεῖρας, καὶ ἐάν τις ἐάσῃ, εἰς νόσημα τοῦτο ἐμπίπτειν ὥσπερ Ἀλκμαίωνι τῷ φυσικῷ καὶ Φερεκύδει τῷ Συρίῳ*, id quod de Alcmane poeta narrat Aristoteles Antigoni auctor (hist. anim. V 31, 557a 2). Denique idem error apud Isidorum Hispalensem (origg. I 39, 1) recurrit: 'has (scil. fabulas) primas invenisse traditur Alcmon (sic!) Crotoniensis'.

Redeamus ad Aristotelis verba *ἐγένετο τὴν ἡλικίαν Ἀλκμαίων ἐπὶ γέροντι Πυθαγόρᾳ.* Quibus iterum nobis paratur

1) Ceterum Alcmaeonis physici sapientia nunquam per orbem terrarum innotuit.

periculosum plenum opus aleae, cum non solum vox *ἡλικία* anceps sit, quippe quae et aetatem qua quis vixerit et iuventutem sonare possit, sed etiam *ἐγένετο* quid significet parum constet. Nam cum Rohdeus (Mus. Rh. XXIII 161 sqq.) nos docuerit in virorum clarorum aetatibus definiendis vocem *γέγονε* eodem plerumque sensu adhiberi quo *ἤκμασε*, non alienum videtur quaerere, num etiam voce *ἐγένετο* simili ratione antiqui usi sint. Atque Rohdeus (l. l. pag. 219, 1) dicit *ἐγένετο* saepissime idem esse quod *ἐγεννήθη*, rarissime quod *ἤκμασε*; sed pag. 638 ipse contrariae significationis exempla quaedam enumerat. Itaque ad renovandam hanc quaestionem collegi undique quot potui huius sermonis exempla, quae ne satis pauca esse mireris, vocem *ἐγένετο* multo rarius inveniri quam *γέγονε* scito. Propono tibi haec:

1. Suidas s. v. *Χάρων Λαμψακηνός: γενόμενος κατὰ τὸν πρῶτον Δαρεῖον ξθ´ ὀλυμπιάδι, μᾶλλον δ' ἦν ἐπὶ τῶν Περσικῶν κατὰ τὴν οε´ ὀλυμπιάδα.*
2. Suidas s. v. *Σωσιφάνης: ἐγένετο δ' ἐπὶ τῶν τελευταίων χρόνων Φιλίππου, οἱ δ' Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος.*

Utrumque locum plane incertum esse demonstrat Rohdius (l. l. p. 219).

Iam eos enumeremus quos de natalibus dictos esse apparet:

1. In anaglypho sepulcrali Dexilei equitis Atheniensis (C. I. A. II 2084): *ἐγένετο ἐπὶ Τεισάνδρου ἄρχοντος, ἀπέθανε ἐπ' Εὐβουλίδου.*
2. [Plut.] d. vit. dec. orat. 835 Fr.: *γενόμενος* (scil. Lysias) *δ' Ἀθήνησιν ἐπὶ Φιλοκλέους ἄρχοντος κατὰ τὸ β´ ἔτος τῆς π´ ὀλυμπιάδος τὸ μὲν πρῶτον συνεπαιδεύετο κτλ.*
3. Ibid. 836 Fr.: *γενόμενος* (scil. Isocrates) *κατὰ τὴν πϛ´ ὀλυμπιάδα.* (Idem Suidas s. v. *Ἰσοκράτης*).
4. Herodoti q. v. vita Homeri 38: *ἀφ' οὗ δ' Ὅμηρος ἐγένετο ἔτεά ἐστιν ἑξακόσια εἰκοσιδύο μέχρι τῆς Ξέρξεω διαβάσεως.* Cf. Rohdeum pag. 638.
5. Hippolytus philosophumena 6 (Doxogr. 560, 11): *Ἀναξίμανδρος ἐγένετο κατὰ ἔτος τρίτον τῆς τετταρακοστῆς δευτέρας ὀλυμπιάδος.*

6. Ioannes Malalas chronogr. II 34, 11 ed. Bonn.: *ἐν δὲ τοῖς χρόνοις τούτοις ἐγένετο Φάλεκ υἱὸς Ἕβερ.*[1])
7. Genus Antiphontis (Biographi gr. pag. 235, 2 ed. Westermann): *κατὰ δὲ τὰ Περσικὰ γενόμενος συνήκμασε Γοργίᾳ.*
8. Eustathius prooem. Pind.: *γενόμενος* (scil. Pindarus) *ἐπὶ ἄρχοντος Ἀβίωνος.* Cf. Westermannum ad Biogr. pag. 101, 54. —

Aliter de voce *ἐγένετο* iudico in hisce:

1. Iosephus contra Apionem I 12 (p. 5, 3 Niese): *Ὅμηρος τῶν Τρωικῶν ὕστερον φαίνεται γενόμενος.*[2])
2. Ibid. I 13 (p. 5, 8 N.) *μετὰ τοῦτον εἴ τινες ἄλλοι λέγονται γενέσθαι* (scil. rerum scriptores).
3. Galenus XIV 683 K.: *μετὰ Φιλῖνον ἐγένετο Σεραπίων Ἀλεξανδρεύς.*
4. Procl. v. Hom. (Biogr. p. 26, 53): *τοῖς δὲ χρόνοις αὐτὸν οἱ μὲν περὶ Ἀρίσταρχόν φασι γενέσθαι κατὰ τὴν τῆς Ἰωνίας ἀποικίαν .... οἱ δὲ περὶ Κράτητα ἀνάγουσιν αὐτὸν εἰς τοὺς Τρωικοὺς χρόνους.*
5. Plut. q. v. vit. Hom. 5 (Biogr. 24, 90): *γενέσθαι δ' αὐτόν φασι τοῖς χρόνοις οἱ μὲν κατὰ τὸν Τρωικὸν πόλεμον, οὗ καὶ αὐτόπτην γενέσθαι κτλ.*
6. Anonymus v. Hom. (Biogr. 29, 8): *τοῖς δὲ χρόνοις κατὰ μέν τινας πρὸ τῆς τῶν Ἡρακλειδῶν ἐγένετο καθόδου.*[2])
7. Philostratus vit. sophist. pag. 488 (205, 25 Kayser): *γενόμενος δὲ* (scil. Dio Chrysostomus) *κατὰ τοὺς χρόνους*

1) Cf. 1. Mos. 10, 25; 11, 16 sq. Quamquam Malalas talibus in sententiis semper quod sciam utitur vocibus *ἤκμασε ἦν ἐγνωρίζετο*, tamen hic *ἐγένετο* pro *ἐγεννήθη* dictum esse putaverim, cum annum, quo natum esse Phalec opinabantur, pro aera habuisse chronologos ostendat Syncellus (I 98, 17 Bonn.): *τῷ γὰρ ͵βψοα' ἔτει τοῦ κόσμου .... ἐγεννήθη τῷ Ἕβερ ὁ Φάλεκ καὶ μετὰ τέσσαρα ἔτη τῆς τοῦ Φάλεκ γεννήσεως ..... συνεχύθησαν αἱ γλῶσσαι.* Cf. pag. 149, 3; 151, 7. Haud secus [Leo grammaticus] chronogr. pag. 14, 2 ed. Bonn.: *ἐν ἀρχῇ τῶν ἡμερῶν τοῦ Φάλεκ κτλ.*

2) Cf. Euseb. Pr. Ev. X 11, 4 pag. 492 a: *οἱ μὲν περὶ Κράτητα πρὸ τῆς τῶν Ἡρακλειδῶν καθόδου φασὶν αὐτὸν ἠκμακέναι, μετὰ τὰ Τρωικὰ ἐνδοτέρω τῶν ὀγδοήκοντα ἐτῶν.*

οὓς Ἀπολλώνιος ὁ Τυανεὺς καὶ Εὐφράτης ὁ Τύριος ἐφιλοσόφουν.[1])

8. Hippolytus philosophumena I (Dox. 555, 12): ἐγένετο δὲ (scil. Thales) κατὰ Κροῖσον.

9. Ibid. III (Dox. 558, 4): Ἐμπεδοκλῆς μετὰ τούτους (scil. Thaletem Pythagoram etc.) γενόμενος.

10. Athenaeus X. Att. p. 599 C: Ἀνακρέων κατὰ Κῦρον καὶ Πολυκράτην γενόμενος, Σαπφὼ κατ' Ἀλυάττην τὸν Κροίσου πατέρα.

11. Ibid. pag. 12 A: ἐγένετο κατὰ τοὺς Τιβερίου χρόνους ἀνήρ τις Ἀττικός.

12. Ibid. pag. 589 D: Στησίμβροτος κατὰ τοὺς αὐτοὺς χρόνους Περικλεῖ γενόμενος.

13. Marcellinus v. Thucyd. 54: φαίνεται ἐπὶ τῶν Ἡροδότου χρόνων γενόμενος, εἴ γ' ὁ μὲν Ἡρόδοτος μέμνηται τῆς Θηβαίων εἰσβολῆς εἰς τὴν Πλάταιαν. περὶ ἧς ἱστορεῖ Θουκυδίδης ἐν τῇ β'.

14. Georgius Syncellus I 309, 17 ed. Bonn.: κατὰ τούτους τοὺς χρόνους Σαμψὼν ἦν ὁ παρ' Ἕλλησι βοώμενος Ἡρακλῆς. τινὲς δὲ πρὸ τούτου μικρὸν ἱστοροῦσι γενέσθαι Ἡρακλῆν.

15. Ibid. I 123: κατὰ μὲν Ἴναχον Ἰσραὴλ γενόμενον εὗρον, κατὰ δὲ Σεμίραμιν τὸν Ἀβραάμ.

16. Ibid. I 118, 12: κατὰ Ἴναχον καὶ Φορωνέα τὸν Ἰνάχου ... γενέσθαι Μωϋσέα.[2])

17. Ibid. I 124 (= 229, 3; 284, 3; Cedrenus I 76 ed. Bonn.):

1) Dio cum iam Vespasiani qui Romam cum arcessivit temporibus (69 79) summa gloria floruerit, circa medium saeculum primum natus esse putandus est. Itaque Euphrates certe Tyrius, quem Hadriano imperante (117—138) mortuum esse constat, non ita multum aetate Dionem antecessisse videtur. Apollonius Tyanensis Nerva imperante (96—98) mortem obiit.

2) Quamquam etiam natus erat Inacho regnante (Sync. I 116, 4; 127, 12). Quod ne hic quoque significari rearis, attendas verba καὶ Φορωνέα. Praeterea cf. Cedrenum I 76 ed. Bonn.: Μωϋσῆς ἐν τοῖς χρόνοις Ἰνάχου ἦν ἀκμάζων.

*Μωϋσέα ἡ παροῦσα ξυνέτασις τῶν χρόνων γενέσθαι κατὰ Κέκροπα συνίστησιν.*[1])

18. Ibid. I 122, 13: *Ἑλληνικῶν φιλοσόφων ὅστις ποτὲ ἦν ἐκεῖνος .... πρὸ τῶν Σεμιράμεως χρόνων τὸν Μωϋσέα γενέσθαι φησί.*[2])

19. Ibid. I 120, 1: *ἀλλὰ καὶ Ἑλλήνων δέ τινες ἱστοροῦσι κατὰ τοὺς αὐτοὺς χρόνους γενέσθαι Μωϋσέα.*[2])

20. Alexander Polyhistor apud Sync. p. 50 ed. Bonn.: *Βήρωσσος ἐν τῇ πρώτῃ τῶν Βαβυλωνιακῶν φησι γενέσθαι μὲν αὐτὸν κατ' Ἀλέξανδρον τὸν Φιλίππου τὴν ἡλικίαν.* — *Γενέσθαι* intelligi *γεγενῆσθαι* vetant verba quae a *γενέσθαι* secludi nequeunt *τὴν ἡλικίαν* (v. infra). Nec contra dicit temporum ratio. Nam librum de rebus Babylonicis, quem ad primum ille misit Antiochum, circa annum 280 edidisse videtur (Clinton Fasti Hellenici ad annum 279; Müller Frg. Hist. Gr. II 492), ita ut vel ante annum 340 natus esse possit. Accedit quod Berosi exemplo Manethonem ad rerum Aegyptiacarum historiam conscribendam adductum esse Syncellus tradit (p. 29 ed. Bonn.): .... *κατὰ μίμησιν Βηρώσσου πεπλασμένα κατὰ τοὺς αὐτοὺς σχεδόν που χρόνους ἢ μικρὸν ὕστερον.* Manethonem autem iam primo ut videtur[3]) Ptolemaeo regnante pontificem Aegyp-

---

1) Cf. Euseb. II 8, 4 Schöne: *Μωσῆς κατὰ Κέκροπα τὴν ἡλικίαν ἀκμάσας.*

2) *Γενέσθαι* quomodo sit intelligendum, docent quos modo attuli Syncelli loci eodem e contextu sumpti.

3) Discrepant qui de Serapide Alexandream translato scripserunt cum aliis de rebus tum de temporum ratione. De Lagida consentiunt Plutarchus (l. l.) et Tacitus hist. IV 83. 84. At Clemens (protr. IV 48 pag. 42 Pott) Philadelphum tum regnasse narrat. Neque tamen fide indigni esse illi videntur. Nam Plutarchus diligenter id ipsum studet ut de cultu ac religione Aegyptiacis quam accuratissime disserat, et Tacitus quem nemo nescit quam sit cautus, quamquam esse qui dissentiant non ignorat (c. 84), tamen primo Ptolemaeo regnante deum esse advectum contendere non dubitat, ipsis Aegyptiorum antistitibus, h. e. ipso fortasse Manethone, sese niti confessus (c. 83). Iam Cyrillus (in Iul. pag. 13 Spanh.) olympiade 124 (a. Chr. 284—281) deum accitum esse narrat. Ergo haud scio an inde controversia orta sit, quod, cum Lagida anno 285 Philadelphum in regni societatem assumpsisset, anno 283 autem

tiorum maximum et summae auctoritatis et amplitudinis sacerdotem fuisse docent ea quae Plutarchus (de Isid. et Os. 28) de Serapidis apud Aegyptios institutione narrat (*οἱ περὶ Τιμόθεον τὸν ἐξηγητὴν* [h. e. antistitem ceremoniarum Eleusiniarum] *καὶ Μανεθῶνα*). Utut res se habet, sive tu vera tradere Syncellum sive aut ipsum aut Alexandrum male interpretatos esse Berosi verba putaveris, hoc tenebis Syncelli *γενέσθαι τὴν ἡλικίαν* esse i. q. vixisse. Cf. Sync. 25, 3 ed. Bonn.: *Βήρωσσος ὁ τῆς Χαλδαϊκῆς ἀρχαιολογίας συγγραφεὺς ἀκμάσας κατὰ τοὺς χρόνους Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος, ὥς φησι κτλ.*

21. Syncellus pag. 32 ed. Bonn.: *Μανεθῶ μετὰ Βηρωσσὸν γενόμενος ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου.*

22. Suidas s. v. *Χοίριλος*: *γενέσθαι δὲ κατὰ Πανύασιν τοῖς χρόνοις.*

23. Ibid. s. v. *Θέων Γυμνασίου Σιδώνιος*: *γενόμενος ἐπὶ τοῦ βασιλέως Κωνσταντίνου* (Rohde l. l. 219, 1).

24. [Leo grammaticus] chronogr. 48, 14 ed. Bonn.: *κατὰ τούτους χρόνους* (scil. Artaxerxis Longimani) *Σωκράτης ἐγένετο.*[1])

25. Georgius Cedrenus chronogr. I 148 ed. Bonn.: *κατὰ τούτους τοὺς χρόνους καὶ Μαρσύαν φιλόσοφον λέγουσι γενέσθαι.*

26. Genus Apollonii Rhodii (Biogr. 50, 3): *ἐγένετο δ' ἐπὶ τῶν Πτολεμαίων.*

27. Genus Nicandri (Biogr. 62, 10): *χρόνῳ δ' ἐγένετο κατ' Ἄτταλον τὸν τελευταῖον ἄρξαντα Περγάμου.*

---

mortuus esset, incerti haerebant scriptores utrum Lagidae extremos an Philadelphi primos annos olympias illa significaret. Denique ei qui Euergeten (hic enim est 'quem tertia aetas tulit Ptolemaeus' Tac. c. 84; cf. 83 'Ptolemaeus [scil. Lagida] qui Macedonum primus Aegypti opes firmavit') novae religionis auctorem fuisse narrabant quosque aperte spernit Tacitus, haud scio an temere 'Ptolemaeum' interpretati sint eum quem inter omnes pietate maxime insignem atque sacerdotibus amicissimum cognoverant, scil. *Εὐεργέτην*.

1) Michael Glycas (376, 14 ed. Bonn.) etiam Platonem et Aristotelem Longimani aetate floruisse dicit (*ἐγνωρίζοντο*).

28. Genus Arati (Biogr. 56, 5): *ἐν τοῖς χρόνοις δ' ἐγένετο κατὰ Φιλάδελφον τὸν βασιλέα.*

Vides igitur vocem *ἐγένετο* multo saepius idem sibi velle quod *ἦν* (vixit) quam quod *ἐγεννήθη* (natus est). Ac verba illa Aristotelica ne vertamus 'natus est Pythagora sene' monet etiam quod additur *τὴν ἡλικίαν*. Quid enim esset *ἐγεννήθη τὴν ἡλικίαν*? Quod equidem neque intelligo neque usquam me legere memini. Dicat quispiam vertendum esse *Denn was sein Zeitalter anlangt, so wurde er geboren* etc. At certe scribendum erat mutato ordine *τὴν ἡλικίαν ἐπὶ γέροντι Πυθαγόρᾳ Ἀλκμαίων ἐγένετο*, ita ut omnis sententiae vis in verbis *τὴν ἡλικίαν* posita esset.[1]) Immo voces *τὴν ἡλ.* cum *ἐγένετο* artissime esse iungendas ipse quo cadunt verba illa numerus docet. Proinde vertamus 'vixit': iam nil habere offensionis illud *τὴν ἡλικίαν* ut discas comparanda sunt haec:

Biogr. p. 161, 19 Westerm.: *χρόνοις γέγονε* (scil. Epicharmus) *κατὰ τὴν ογ' ὀλυμπιάδα.*

Ibid. 166, 44: *Πλάτων γεγονὼς τοῖς χρόνοις κατ' Ἀριστοφάνην.*

Ibid. 184, 321: *τοῖς χρόνοις ἦν* (scil. Sophro) *κατὰ Ξέρξην.*

Ibid. 206, 1: *Θεόπομπος γεγονὼς τοῖς χρόνοις κατὰ τὴν ἀναρχίαν Ἀθηναίων.*

et ex eis quos supra contuli loci de Homero (4, 5, 6), Choerilo (22), Nicandro (27), Arato (28).

Quid? Vitamne Alcmaeo Pythagora sene degit? Nonne artioribus finibus circumscripta esse videtur? Tamen cave vertas 'floruit'. Nam vocis *ἐγένετο* notio multo latius patet quam *ἤκμασε* neque unquam si quid sentio ipsam *ἀκμὴν* significat, quoniam quae ad temporum rationem describendam adduntur voces semper maiorem annorum seriem complectuntur, quam ut de uno illo aetatis gradu dictas eas esse putemus. Immo *γενέσθαι κατά τινα* est 'aequalem esse' sive maiorem sive minorem, ita ut his verbis etiam iuvenem cum sene componere liceat (cf. locos de Thucydide [13] et Beroso [20]). Neque tamen scio an recte Dielesius senserit qui fortasse

1) Ex. gr. Paus. 5, 10, 3: *ἡλικίαν δὲ ὁ Βύζης κατ' Ἀλυάττην.*

intercidisse ⟨νέος⟩ post τὴν ἡλικίαν coniecit. Talibus de rebus cum iudicium sit penes scriptores antiquos, en locos quosdam Aristotelico simillimos:

Suidas s. v. *Μάγνης*: *ἐπιβάλλει δ' Ἐπιχάρμῳ νέος πρεσβύτῃ.*

Laert. Diog. IX 41: *γέγονε δὲ* (scil. Democritus) *τοῖς χρόνοις (ὥς αὐτός φησιν ἐν τῷ μικρῷ διακόσμῳ) νέος κατὰ πρεσβύτην Ἀναξαγόραν.*

Iambl. v. Pyth. 104: *οἱ αὐτῷ* (scil. Pythagorae) *συγχρονίσαντες καὶ μαθητεύσαντες τῷ Πυθαγόρᾳ πρεσβύτῃ νέοι Φιλόλαος . . . . τε καὶ Ἀλκμαίων κτλ.*

Utut hac de re iudicaveris, hoc facile largieris nil aliud sibi velle Aristotelis verba nisi Alcmaeonem Pythogora sene (h. e. post annum 510 a. Chr.; cf. Zellerum *Philos. der Griech.* I[5] 296 sqq.) iuvenem fuisse. Quocum concinit antiquorum mos, qui discipuli ἀκμὴν a magistri quadraginta fere annis distare volebant; nam Pythagoras circa annum 532 floruisse putabatur. —

Iam perpauca illa quae de vita eius tradita sunt colligamus. Ac Crotone eum natum esse innumerabilis testium multitudo consentit.[1]) Tamen huic quoque rei dubitatio admoveri posse videtur, quoniam prima libri Alcmaeoniani verba doricae quam exspectamus dialecti formis admixtas praebent ionicas. Accedit quod nomen Crotoniatae saepe nil nisi medicae scholae Crotone florentis discipulum significat. Sed alteram dubitationem infra, cum de libro eius dicendum erit,

---

1) Crotoniatam eum appellant Aristot. Metaph. l. l.; d. gen. anim. III 2, 752 b 25; hist. anim. VII 1, 581 a 15; Simplicius in Arist. de anim. 405 a 29 (pag. 32, 3 Hayduck); Alexander Aphrodis. in Met. l. l. (pag. 42, 3 Hayduck); Sophonias paraphr. Arist. de anim. 405 a 29 (pag. 14, 31 Hayduck); Laert. Diog. VIII 83; Iamblichus v. Pyth. pag. 267; Chalcidius in Timaeum pag. 279 ed. Wrobel; Censorinus d. die nat. 5, 2; Boethus apud Euseb. praep. ev. XI 28 pag. 555 C; Cicero d. deor. nat. I 11; Clemens Alexandr. protrept. V 66 (I 57 ed. Klotz); strom. I 26, 78 (II 55 ed. Klotz); ibid. VI 2, 16 (III 106 ed. Klotz); Theodoretus cur. graec. affect. α' (pag. 19 ed. Gaisford); Isidorus Hispal. origg. I 39, 1; Philoponus in Arist. de gen. an. 752 b 25 (fol. 66ᵛ ed. Venet. 1526); Themistius in Arist. de anim. 405 a 29 (II 24, 18 ed. Spengel).

tollemus; alteram vero nil valere inde perspicuum, quod non solum nusquam cognomen ab alio quodam oppido ductum ei datur[1]), sed etiam Iamblichus (l. l.) ubi de patriis Pythagoreorum loquitur Crotoniatis eum annumerat. Neque ipse Alcmaeo ineunte libro (cf. h. diss. pag. 7) patris nomini scholae nomen apposuisse putandus est.

Medicum Alcmaeonem fuisse etiamsi nusquam traditur, tamen veri est simillimum. Nam quod rebus a medicina remotis operam dedit ne miremur facit Aristoteles de sensu 1 (pag. 436 a 19): *σχεδὸν τῶν τε περὶ φύσεως οἱ πλεῖστοι καὶ τῶν ἰατρῶν οἱ φιλοσοφωτέρως τὴν τέχνην μετιόντες, οἱ μὲν τελευτῶσιν εἰς τὰ περὶ ἰατρικῆς, οἱ δ' ἐκ τῶν περὶ φύσεως ἄρχονται περὶ τῆς ἰατρικῆς.*[2]) Multo certe magis medicinae eum studuisse Laertii ostendunt de libro eius verba *καὶ τὰ πλεῖστά γ' ἰατρικὰ λέγει· ὅμως δὲ καὶ φυσιολογεῖ ἐνίοτε.* quae optimo ex fonte fluxisse videntur (cf. h. diss. pag. 33). Praeterea de anatomia optime illum meritum esse constat e Chalcidii (comment. in Platonis Timaeum pag. 279 Wrobel) his: „Demonstranda igitur oculi natura est, de qua cum plerique alii tum Alcmaeo Crotoniensis, in physicis exercitatus quique primus exsectionem aggredi ausus est, ... multa et praeclara in lucem praetulerunt". Hoc quoque notatu dignum, quod Alcmaeo omnibus de sensibus fusius locutus nil habuit teste Theophrasto (de sens. 26 pag. 507, 5 Diels) quod de tactu adderet, scil. quod tactûs non est sensorium quod sectionibus investigari possit. Verum num invenerit secandi artem, id quod Zellerum (l. l.), Windelbandium (l. l.), Haeserum (*Gesch. d. Medizin* I 82), alios persuasum habere video, in medio equidem reliquerim, non quod diffidam Chalcidio, sed quia utrum de oculi tantúm exsectione an omnino de arte secandi loquatur dubitari potest. Illud suadet totius loci contextus,

1) Ut Philolaus in Menoneis excerptis (col. XVIII 8, pag. 31 ed. Diels) *Κροτωνιάτης*, alibi semper fere *Μεταποντῖνος* vocatur.

2) Cf. de respirat. 480 b 26 quosque Bonitzius collegit locos in indice Aristot. pag. 338 a 42. Haud secus iudicant Hippocratici (*π. παρθ.* 1 = IV 466 L.; de victu 2 = VI 468 L.; de hab. dec. 9 = V 232 L. *ἰητρὸς φιλόσοφος ἰσόθεος*), Plato (leges 857 CD), Galenus (qui libro ad id scripto ostendere conatus est *ὅτι ἄριστος ἰατρὸς καὶ φιλόσοφος*).

hoc quod hae ipsae voces cum verbis quibusdam generalioribus ('in physicis exercitatus') coniunctae sunt. Concedendum tamen neminem quod sciamus ante Alcmaeonem nulla alia de causa nisi medicinae excolendae studio adductum[1]) anatomiae operam dedisse. Itaque medicum Alcmaeonem fuisse atque Crotoniensi medicorum scholae, quam eis temporibus maxime floruisse Herodotus auctor est (III 131), annumerandum esse pro certo habeo.

Haec sunt quae de vita eius comperi. Neque enim scio quibus locis nixus Kühnius (opusc. med. acad. I 69 sqq.) de 'scholis eius philosophiae dicatis' narret. Errat Haeserus quoque narrans (pag. 84) Alcmaeonem Athenis pestilentiam rogis incensis solvisse, id quod de Acrone potius Agrigentino dicendum erat (Welcker Kleine Schriften III 43, annot. 36). Denique Deslandesium (*histoire critique de la philosophie* II 94 Amstelodami 1737) ex nihilo narratiunculas suas[2]) finxisse in promptu est.

Iam pauca addamus de Alcmaeonis libro. Neque enim plures libros eum scripsisse crediderim. Quod cum per se veri est simillimum ut in homine adeo vetusto, tum eo quoque suaderi videtur, quod nisi unius libri inscriptio apud

1) Constat enim haruspices quoque aliquantum ad anatomiae artem excolendam contulisse, cum corporis quarundam partium et situs et mutationes summa animi intentione observare solerent. Ita Suidas haruspices, cum in iecur potissimum animum intenderent, ἡπατοσκόπους vocat, nec secus Aristoteles multum ad corporis naturam investigandam sacerdotum diligentiam valuisse profitetur de part. an. III 4, 667 b 1; de hist. anim. I 17, 496 b 24. Quin foetuum quoque situm in hostiis gravidis, quas fordas appellabant, Romanos certe (nam de Graecis nil eiusmodi inveni) explorasse Varro (d. l. l. VI 3), Festus (pag. 83, 102 Müller), Ovidius (fasti IV 629) docent.

2) Apponam quae Francogallus hariolatus est: '*Alcméon de Crotone exerça la médecine dans plusieurs villes de la grande Grèce et l'exerça toujours en vrai Pythagoricien, c'est-à-dire d'une manière officieuse et désinteressée. Comme il ne demandoit rien pour son honoraire et qu'un motif plus noble le faisoit agir* [? cf. Galen. V 751 fin.], *il préscrivoit peu de remèdes; et ceux-mêmes qui étoient assez riches pour pouvoir rester longtemps malades, il les guérisoit promptement. Un pareil médecin devoit se faire un grand nom quoique peut-être il rencontrât des malades qui fussent fâchés d'être traités et si simplement et si vite.*'

scriptores non exstat. Porro gravissimum est Galeni (in Hippocr. de nat. hom. XV 5 K.) testimonium: *τοιαῦτα* (scil. philosophorum modo tractata) *εὕροις ἂν ἅπαντα τὰ περὶ φύσεως ἐπιγεγραμμένα βιβλία τῶν παλαιῶν φιλοσόφων Ἐμπεδοκλέους, Παρμενίδου, Μελίσσου, Ἀλκμαίωνος, Ἡρακλείτου· τινὲς δὲ οὐχ ἓν ἀλλὰ πλείονα βιβλία τῆς θεωρίας ἐποιήσαντο ταύτης.*

Quem librum primum de rebus physicis in lucem prodiisse Diogenes Laertius[1]) et Clemens Alexandrinus[2]) consentiunt. Quod aperte falsum est. Nam Anaximandri, Anaximenis, Xenophanis libri antiquiores. Quo in errore explicando nil iuvat nos Philippsonus (*Ὕλη ἀνθρωπ.* pag. 184, 3) titulum *περὶ φύσεως* primum Alcmaeonem inscripsisse ratus. Neque enim dubium quin tales inscriptiones quarto demum a. Chr. n. saeculo libris addi coeptae sint, quo facilius quid insit cognoscatur; nec mirum quod qui bibliothecis (Alexandrinis imprimis) praepositi erant omnibus qui easdem res continerent libris quem brevissimum invenerant indicem eundem inscripserunt. Quamobrem *τὰ τῶν παλαιῶν ἅπαντα περὶ φύσεως ἐπιγέγραπται, τὰ Μελίσσου, τὰ Παρμενίδου, τὰ Ἐμπεδοκλέους Ἀλκμαίωνός τε καὶ Γοργίου καὶ Προδίκου καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων* (Galenus in Hipp. de carne I 487 K.). — Alii (ut Bruckerus hist. philos. crit. I 1131) de Italicis philosophis verba illa intelligenda esse putant, obliti Xenophanis. Sittelius (l. l.) parum verisimiliter de scriptis Pythagoreorum interpretatur, ita ut haec notitia fluxerit e libro quodam de Pythagoreae disciplinae sectatoribus. At ipse Diogenes non uno loco (VIII 15 et 85) Demetrium Magnetem secutus aperte negat ante Philolaum quemquam Pythagoreum librum emisisse. Porro perverse Schoellius (*Gesch. d. griech. Litt.* [1828] I pag. 436) primum Alcmaeonem de anatomia scripsisse putat; quem redarguit Galenus de anat. admin. II 1 (II 282 K.) *ἔμπροσθεν δ' οὐ μόνον ἐγχειρήσεων ἀνατομικῶν, ἀλλ' οὐδὲ συγγραμμάτων ἐδεῖτο τοιούτων, ὁποῖα Διοκλῆς ὤν*

1) l. l. *δοκεῖ δὲ πρῶτος φυσικὸν λόγον συγγεγραφέναι καθά φησι Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ.*

2) Strom. I 26, 78 (II 55 Klotz): *Ἀλκμαίων γοῦν Περίθου Κροτωνιάτης πρῶτος φυσικὸν λόγον συνέταξεν.* Ex eo Theodoretus (cur. graec. affect. pag. 19 Gaisford) sumpsit haec: *Ἀλκμὰν ὁ Πειρίθου Κροτωνιάτης ὃν πρῶτόν φασι περὶ φύσεως συγγεγραφέναι λόγον.*

*οἶδα* (Alcmaeonem novit, cf. h. diss. pag. 19) *πρῶτος ἔγραψε.*[1]) Denique post Petersenum (l. l. praef.) Sanderus negat de rebus medicis ullum ante Alcmaeonem librum editum esse. Sane nil ille curavit Suidam (s. v. *Δημοκήδης*) vel potius auctorem eius Hesychium Milesium qui iam a Democede librum conscriptum esse testatur. Eiusdem opusculi etiam apud Plinium mentio fit (Brunn, de auctorum indice Pliniano p. 22). Vereor tamen ne spurius hic liber putandus sit. Nam primi cuiusque artis libri claris illis viris qui fabularum aut historiae memoria in eis floruisse feruntur, adscribi solent, velut Cadmearum litterarum eponymus Cadmus primum librum pedestri oratione scripsisse dicitur et quae sunt huiusmodi innumera ab *εὑρημάτων* scriptoribus inventa. Ad hunc modulum Democedis, cuius artem Herodotus celebraverat, principatus confictus esse videtur. Ceterum de medicorum historia ne fidentius Plinio credamus Epicharmi monet exemplum (cf. Welcker *kl. Schriften* I 349). Itaque in Sanderi opinione acquiescendum esse censeo.

At Sittelius (l. l.) constare sibi profitetur Alcmaeonis librum ut multa eiusmodi scripta a Neopythagoreis per fraudem subditum esse. Qua in re egregie erravit. Quid? Aristotelem et Theophrastum nil nisi quae fando de Crotoniata audivissent prodidisse opinabimur? An vero Aristotelem, cum peculiari libro (*πρὸς τὰ Ἀλκμαίωνος* Laert. Diog. V 25) eum petiit, cum famae nebulis conflixisse putas? Theophrastus autem non solum quae docuerit Alcmaeo, sed etiam quae praeterierit narrat (Dox. 507, 5 *περὶ δὲ ἁφῆς οὐκ εἴρηκε οὔτε πῶς οὔτε τίνι γίγνεται*). Quid? De dispositione libri unde edoctum eum esse putabimus (Dox. 506, 19 et 23 *πρῶτον*

1) Diocles quando vixerit ne incerti haereamus, addo haec: Galen. II 905 K.: *Διοκλῆς ὁ Καρύστιος καὶ Πραξαγόρας ὁ Κῷος μικρὸν ὕστερον Ἱπποκράτους γεγονότες.* Idem XIV 683 K.: *μετὰ δὲ τοῦτον* (scil. Hippocratem) *Δ. ὁ Καρύστιος, Πραξαγόρας Κῷος, Ἡρόφιλος Χαλκηδόνιος, Ἐρασίστρατος Χῖος.* Celsus de med. I prooem. (p. 2, 17 Daremberg): 'post quem (scil. Hippocratem) Diocles Carystius, deinde Praxagoras et Chrysippus'. Plinius nat. hist. 26, 2: 'secundus aetate famaque (scil. post Hippocratem)'. — Vixit igitur Praxagoram inter et Hippocratem, vel Ctesiam, utpote contra quem scriberet (Gal. XVIII 72).

.... *ἔπειτα*)? Itaque fieri non potest quin Alcmaeonis sub nomine librum quarto saeculo circumlatum esse dicamus. Quem librum erit fortasse qui Peripateticis diffisus suppositum esse putet; fraudibus enim prorsus non obnoxios illos fuisse nemo sanus contendet. Qua de re nisi ex ipsis Alcmaeonis fragmentis diiudicari nequit (cf. pag. 27, 29, 37).

Quaerendum tamen antea qua dialecto Alcmaeo usus sit. Nam verba libro praeposita (Laert. Diog. VIII 83): *Ἀλκμαίων Κροτωνιήτης τάδε ἔλεξε, Πειρίθου υἱός, Βροντίνῳ καὶ Λέοντι καὶ Βαθύλλῳ· περὶ τῶν ἀφανέων, περὶ τῶν θνητῶν σαφήνειαν μὲν θεοὶ ἔχοντι· ὡς δὲ ἀνθρώποις τεκμαίρεσθαι* mixta exhibent ionica et dorica. Unde primus dubitavit Menagius (comment. in Diog. Laert. II 370 Hübner): 'Legendum videtur *Κροτωνιάτης*. Alcmaeo enim et ut Doricus et ut Pythagoricus dorica dialecto videtur scripsisse. *Κροτωνιήτης* tamen omnes edd. et mss. An Alcmaeo in gratiam Pythagorae praeceptoris, qui ionice ut Samius scripsit, ionice quoque scripserit? Quemadmodum ferunt Hippocratem, Doricus cum esset, in gratiam Democriti Ionis ionica lingua libros suos conscripsisse ut est apud Aelianum var. hist. IV 20.' Sed ut taceam de Aeliani narratiuncula, nimia Menagius confidentia Pythagorae eum discipulum vocare videtur. — Sanderus autem dorice scripsisse putat Alcmaeonem, cuius verba ionici Diogenis auctores in suum ut solebant antiqui sermonem convertissent. At quo fonte usus sit Diogenes pag. 33 docebo. — Denique Sittelius ionica lingua eum scripsisse dicit, sed verborum controversiam prorsus negligit; Unna autem dubitanter 'Dorica' inquit 'dialecto usus esse non videtur'.

Res digna est quam paullo accuratius tractemus. Qua in quaestione seligenda sunt primum ut quae nil hanc ad rem faciant, vox *ἀφανέων* et ipsum nomen *Ἀλκμαίων*. Iam Cobetus (collect. crit. in scriptores graecos [Lugd. Bat. 1878] pag. 365) damnat formam *Ἀλκμαίων*: 'Vera nominis forma est *Ἀλκμάων*, apud Dorienses et Spartanos *Ἀλκμάν*, apud Athenienses *Ἀλκμέων*. In fragmento epistolae apud Diog. Laert. VIII 83 scribo: *Ἀλκμάων Πειρίθου Κροτωνιάτης τάδε ἔλεξε Βροντίνῳ καὶ Λέοντι καὶ Βαθύλλῳ· περὶ τῶν ἀφανέων* [*περὶ τῶν θνητῶν* del.] *σαφήνειαν μὲν θεοὶ ἔχοντι*, quae vulgo mirifice pertur-

bata sunt.' Neque dubium quin recte *Ἀλκμέων* et *Ἀλκμάν* ex *Ἀλκμάων* orta esse dicat, quam ipsam ob rem nomen *Ἀλκμάων* ex antiquiore quadam forma *Ἀλκμαίων* natum esse non potest per leges grammaticas. Quaeritur tamen num praeter vulgare *Ἀλκμάων* (i. e. *Ἀλκμάϝων*) ab eodem verbo primitivo etiam aliud quoddam nomen ductum esse possit in *-αίων* cadens. En compara quae huius formationis exstant nomina in inscriptionibus (quae solae hac in re fide dignae) eisque magnam partem vetustiorem[1]) aetatem redolentibus quam ut more posteriorum *αι* pro *ε* scriptum esse suspicari possis[2]):

*Ἀθηναίων*: C. I. Gr. 3794, 3. 6. 15. Tit. Chalcedonius 'ante imperatorum aetatem scriptus' Boeckh.

*Ἀνταίων*[3]): Mionnet *description des médailles Supplém.* VI pag. 586. Nummus Rhodius Caesarum temporibus cusus.

*Ἀσκαίων*: C. I. Gr. 4549. Tit. repertus Phaenae in oppidulo Palaestinae. Nomen CΕΟΥΗΡΟC tertii post Chr. nat. saeculi initium indicare videtur.

*Εἰρηναίων*: Mionnet l. l. pag. 399. Nummus Chius Augusto imperante vel prioribus temporibus cusus.

*Εὐαίων*: Paton and Hicks *Inscriptions of Cos* 115.

— C. I. Gr. 2655, 26. 27: Tit. Halicarnassius Neptuni sacerdotes enumerans.

— C. I. Gr. 8077 (cf. *Archaeol. Ztg.* XXVII, 82): Vas nigris figuris ornatum.

*Εὐαίων*: C. I. Gr. 7537: Vas rubris figuris ornatum.

— C. I. Gr. 7815: In hydria Vulc. figuris flavis picta.

*Ἡραίων*: C. I. Gr. 4802 (Theb. Aegypt.).

1) Blassius (*Aussprache d. Griech.*[3] pag. 62 sqq.) etiam Herodianum habuisse negat cur ne *αι* et *ε* litteras confunderent aequales moneret. In inscriptionibus Atticis *αι* et *ε* inde ab anno 150 p. Chr. n. saepius promiscue scribuntur (Meisterhans *Grammatik d. attischen Inschr.*[2] pag. 27).

2) Removenda sunt in quibus *αι* syllaba ipsius vocis pars est ut *Γαίων* in cylice flava nobilissima ab Ergino et Aristophane picta. *Παλαίων*: tit. Delphicus (Collitz 1877).

3) Addo Stephanum Byz. s. v. *Ἀνταιούπολις*: *λέγεται καὶ Ἀνταίων ὡς Ἀκταίων*.

*Ἡραίων*: C. I. Gr. 8519, 43. 44 (incertum).

— Collitz tit. 705, 13: *Εἱραίων* Byzantius in titulo quodam Boeotico intra annos 355 et 346 a. Chr. scripto.

*Καραίων*: Collitz 620: Tit. Boeoticus.

— Collitz 476, 2 (*Καραιώνιος*): Tit. Boeoticus. De aetate vide Meisterum apud Collitzium ad v. 43.

Ac ne neges utramque eiusdem nominis formam inveniri, respicias velim haec:

*Ἀκτάων*: C. I. Gr. 8431 . . . . . *Ἀκταίων*: C. I. Gr. 6126 B 6: 'Videtur esse ex initio imperii Romani' Boeckh. In tabula quadam Aethiopidis Arctineae narrationes depingente.

*Ἑρμάων*: C. I. Gr. 6280 B 24 . . *Ἑρμαίων*: C. I. Gr. 1893 Tit. Corcyraeus.

*Ἑρμαίουν*: Collitz 1286 Tit. Thess.

— Collitz 537 Tit. Boeotic.

*Ἑρμαιώνδας*: *Bull. d. corr. hell.* II 495 Tit. Boeotic.

— *Athen. Mitteil.* IX 10 Tit. Boeotic. intra annos 200 et 150 ante Chr. n. scriptus.[1])

1) Similia exstant haec: *Ἀγάθων Ἀγαθίων, Ἀγλάων Ἀγλαίων,* **Αἰγάων* (*Αἰγεωνεύς*) *Αἰγαίων, Αἴθων Αἰθίων, Αἴσχρων Αἰσχρίων, Αἴσων Αἰσίων, Αἴχμων Αἰχμίων, Ἀλέξων Ἀλεξίων, Ἄνδρων Ἀνδρίων, Ἀνθέμων Ἀνθεμίων, Ἄντων Ἀντίων, Ἀπέλλων Ἀπελλίων, Ἀρίστων Ἀριστίων, Ἀρτέμων Ἀρτεμίων, Βάβων Βαβίων,* **Γάλλων* (*Γαλλωνιανός*) *Γαλλίων, Γλαύκων Γλαυκίων, Γόργων Γοργίων, Δάμων Δαμίων, Δέξων Δεξίων, Διδύμων Διδυμίων, Δόλων Δολίων, Δόρκων Δορκίων, Ἐμπέδων Ἐμπεδίων, Ἕρμων Ἑρμίων, Εὐάγων Εὐαγίων, Ζήνων Ζηνίων, Θεμίσων Θεμισίων, Θεράπων Θεραπίων, Θοίνων Θοινίων, Θύνων Θυνίων, Ἵππων Ἱππίων, Ἰάσων Ἰασίων, Καλλίστων Καλλιστίων, Κάλλων Καλλίων, Κάρπων Καρπίων, Κελάδων Κελαδίων, Κεφάλων Κεφαλίων, Κλείτων Κλειτίων, Κνάκων Κνακίων, Κρόκων Κροκίων, Κτήσων Κτησίων, Κύρτων Κυρτίων, Λάμπων Λαμπίων, Μάκρων Μακρίων, Μαξίμων Μαξιμίων, Μάρων Μαρίων, Μίκκων Μικκίων, Μνά-*

Talia nomina sine dubio a verbis in *-αιος* cadentibus flexa sunt (cf. Fick *Griech. Personennamen* pag. XL):

| | |
|---|---|
| *Ἀθηναίων* | *Ἀθηναῖος* (cf. Pape *Wörterbuch der Eigennamen*) |
| *Ἀκταίων* | *Ἀκταῖος* |
| *Ἀνταίων* | *Ἀνταῖος* |
| *Ἀσκαίων* | *Ἀσκαῖος* (Strabo 557 *τὸ τοῦ Ἀσκαίου [μηνὸς] τὸ πρὸς Ἀντιοχείᾳ τῇ πρὸς Πισιδίᾳ ἱερόν*) |
| *Εἰρηναίων* | *Εἰρηναῖος* |
| *Εὐαίων* | Iambl. d. vit. Pyth. 267 *Εὔαιος* (malim *Εὐαῖος* ab *Εὐᾶς* ductum). Catalogus Musei Britannici in vasculo de quo supra dixi rubris figuris ornato (= C. I. Gr. 7537) legit ΕΥΑΙΟΣ. |
| *Ἑρμαίων* | *Ἑρμαῖος* |
| *Ἡραίων* | *Ἡραῖος* |
| *Καραίων* | *Καραιογένης* Collitz 814 (tit. Boeotic.), cf. Hesych. s. v. *Καραιός* (vel potius *Καραῖος*?). *Ζεὺς παρὰ Βοιωτοῖς οὕτω προσαγορεύεται.* |

Praeterea in Suidae *Ἰσαιών Ἰσαιῶνος· ὄνομα κύριον* correxerim *Ἰσαίων* ab *Ἰσαῖος* videlicet ductum. Apud eundem inveniuntur *Εὐφραίων* et *Εὐφραῖος*.

---

*σων Μνασίων, Μόλων Μολίων, Μόσχων Μοσχίων, Μύρτων Μυρτίων, Μύτων Μυτίων, Νίκων Νικίων, Ξένων Ξενίων, Ὀνάσων Ὀνασίων, Πάσων Πασίων, Πάτρων Πατρίων, Πείσων Πεισίων, Πλούτων Πλουτίων, Πόλων Πολίων, Πράξων Πραξίων, Πράσων Πρασίων, Πρώτων Πρωτίων, Πύθων Πυθίων, Ῥόδων Ῥοδίων, Σάνδων Σανδίων, Σατύρων Σατυρίων, Σμίκρων Σμικρίων, Στάσων Στασίων, Στράτων Στρατίων, Στρούθων Στρουθίων, Σώσων Σωσίων, Σώτων Σωτίων, Ταύρων Ταυρίων, Τράχων Τραχίων, Φίλλων Φιλλίων, Φίλων Φιλίων, Φρύνων Φρυνίων, Χαίρων Χαιρίων, Χάρων Χαρίων.*

Nec deest vox quae hic desideratur *ἀλκμαῖος*. Nam Hesychius *ἀλκμαῖος· νεανίσκος*. Quo de ne cum Stephano (Thesaurus I 1502) *ἀκμαῖος* corrigente dubites monent Bekkeri anecdota I 376, 28 *ἀλκμαίων· ἰσχυρῶν, ἀνδρείων, γενναίων*. — Denique ipsum nomen exstat in marmore albano (Inscr. gr. Sic. et Ital. 1152 Kaibel) nusquam *ε* et *αι* inter se permiscente, ubi invenies inter Euripidis fabulas ibidem enumeratas *ΑΛΚΜΑΙΩΝ*. Itaque nescio cur Crotoniatae nomen *Ἀλκμαίων*[1]) fuisse negemus. Sed haec hactenus.

Ex eis quae restant verbis Ionica sunt *ΚροτωνιΗτΗς* atque *ΠειριθΟΥ*. Et *ΠΕΙρίθου* quidem, cum productionis propter metri difficultatem apud epicos usitatae[2]) excusationem non habeat, ferri non posse docet Wilamowitzius (*Philol. Unters.* VII 324). Quam opinionem confirmat Clemens Alexandrinus (strom. I 26, 78 *Ἀλκμαίων Περίθου*. Itaque Alcmaeonem *Περίθου* scripsisse pro certo habemus. — Iam genitivum casum *ΠερίθΟΥ* quod -*ου* syllaba terminari vides, cave e mitiore Doride repetas, cum ex oppidorum illius regionis Achaicorum inscriptionibus posteriores tantum (Collitz 1646 [tit. Metap.]; cf. titulos Ithacenses 1673, 1676, 1677) praebeant -*ου*, vetustiorem autem Achaeorum loquendi morem liceat cognoscere ex his: Collitz 1648 (Paestum) *τᾶς θεῶ*, 1599 (Achaia) *Ὀλυμπίω*, 1659 (Cephallenia) *Δαμαινέτω τῶ Πάλεος*, 1671 (titulus Ithacensis aliquanto recentior) *τήνω*. — Denique *σαφήνειαν* utrum ex ionico *σαφηνείην* (cf. *ἀληθείην* sim.) an e dorico *σαφανείαν* (Pind. Ol. X 55) corruptum sit dici nequit.

Quibus formis ionicis duo obstant doricae, quarum altera

---

1) Sic semper audit apud scriptores. Nam Theodoretus (cur. graec. aff. I 19 Gaisf.: *Ἀλκμάν*) ab ipso Clemente auctore suo redarguitur. Unus Isocrates *Ἀλκμέων* scripsit orat. XV 268 si fides est codici Ambrosiano; nam ceteri cum Urbinate *Ἀλκμαίων*, cum ipse Urbinas or. XVI 25 bis *Ἀλκμεωνίδαι* recte praebeat ut de gente Attica. Attici enim quin dicturi fuerint *Ἀλκμέων* non *Ἀλκμαίων* haud dubium reliquerunt Meisterhansius (*Grammat. d. att. Inschr.* pag. 28) et Kretschmerus (*d. griech. Vaseninschriften* pag. 123). Kretschmerus addit: *„Wodurch die litterarische Form Ἀλκμαίων ....... veranlaſst ist, ist nicht ganz klar; denn der spätere Zusammenfall von αι und ε reicht zur Erklärung nicht aus.“*

2) Cf. Wilh. Schulze quaest. epicae pag. 221.

(*ἀνθρώποις*) facillime ex ionica pessumdari potuit[1]), altera eius modi est ut quomodo calami lapsu orta sit dici nequeat, scil. *ἔχοντι*.

Ac miscuisse quidem dialectos Alcmaeonem parum habet verisimilitudinis. Cave enim putes Rheginorum atque Himeraeorum modo Crotoniatas utriusque linguae formas confudisse. Nam et Rhegii et Himerae utraque gens, Iones dico atque Dores, una consederant (Thucyd. 6, 5; Strabo 257), Crotonem autem soli Achaei atque Dores condiderant neque alii vicinas Graecorum colonias deduxerant (cf. O. Müller Dorier I 126). At cum omnes fere illius aetatis libri pedestri oratione conscripti ionica dialecto uterentur, quippe quae magis tunc esset vulgata, dicat quispiam ut Herodotum Halicarnassensem, Antiochum Syracusanum, Hippocratem Coum, ita Alcmaeonem Crotoniatam Ionum dialectum imitatum esse; iam cum parum ei esset consueta (nam illis locis primus hic liber prodiisse videtur), fieri potuisse ut unum alterumve patriae linguae vestigium invito eo irreperet. Audiamus Photium (bibl. 45 a 7 Bekker): *κέχρηται δὲ* (scil. Ctesias Cnidius) *τῇ ἰωνικῇ διαλέκτῳ εἰ καὶ μὴ δι' ὅλου καθάπερ Ἡρόδοτος ἀλλὰ κατ' ἐνίας τινὰς λέξεις* et ibid. 21 *ἀνεγνώσθη δὲ αὐτοῦ τὰ Ἰνδικὰ ἐν οἷς μᾶλλον ἰωνίζει*. Sed cum neque in Hippocraticis neque in Herodoteis libris aperta Doricae dialecti vestigia exstent, facere non possum quin corrupto Ctesiae exemplari usum esse patriarcham credam.

Neque est cur de Alcmaeone aliter iudicemus. Nam maiore opinor Alcmaeo diligentia fuit quam ut *ἔχοντι* et *ἔχουσι* confudisse putandus sit. Praeterea medicorum librorum textus quam facile pessumdari potuerint docet Dielesius (Simplic. praef. IX), et poetarum quoque genuinam dialectum, cum seduli lectores patriae linguae formas inviti immiscerent, sensim mutatam esse disces e Wilamowitzii *Philol. Unters.* VII 299, 319, 322, al.

Quid igitur? Doricone textui ionicas labes aspersas esse

1) Ceterum dativi brevior forma ne ab Ionum quidem sermone plane aliena est. Cf. Kühner-Blafs *Ausführl. griech. Gramm.* I 398; Kühlewein ad Hippocr. I pag. LXXX sq.

dicemus? Nam ionicos medicos hoc libello saepius usos esse mox videbimus. An ionicis Alcmaeonis verbis, cum doricorum Crotoniensis scholae medicorum manibus usque tractaretur libellus, doricas formas intermixtas esse putabis?

Quam ad quaestionem disceptandam e re esse videtur quaerere, quanam dialecto ceteri illarum regionum scriptores qui proversa oratione usi sunt libros conscripserint. Audiamus Iamblichum (v. Pyth. 241): *Μητρόδωρος ὁ Θύρσου τοῦ πατρὸς Ἐπιχάρμου καὶ τῆς ἐκείνου διδασκαλίας τὰ πλείονα πρὸς τὴν ἰατρικὴν μετενέγκας ἐξηγούμενος τοὺς τοῦ πατρὸς λόγους πρὸς τὸν ἀδελφόν φησι τὸν Ἐπίχαρμον καὶ πρὸ τούτου τὸν Πυθαγόραν* [? cf. Zeller $1^4$ 266, 1] *τῶν διαλέκτων ἀρίστην λαμβάνειν τὴν Δωρίδα.* Metrodoro autem se applicuisse videtur et Acro Siculae scholae medicus[1]) et Philolaus philosophus cuius exstant fragmenta. Tamen plerosque Pythagoreos sua quemque dialecto scripsisse idem tradit Iamblichus[2]) neque scio an Alcmaeo aliter his de rebus cogitare potuerit atque Acro Siculus. Nam Crotoniatarum schola medica paullo ante Alcmaeonis aetatem condita esse videtur a Cnidiis medicis, qui quin ionico sermone usi sint dubitari nequit.

Praeterea videamus ecquid nos iuvent quae e fragm. XVI[3]) promi possunt verba Alcmaeonis. Et *ἀναχάσκειν* quidem ut antiquioris sermonis esse apparet (cf. ad fragm. XVI), ita ionici tantum fuisse non constat. Iam de voce *θορή* non mediocris contentionis quaestio est. Quam vocem minime esse vulgarem ostendit, si genuinum est, Plutarchi interpretamentum *ὅ ἐστι σπέρματος* (post *θορῆς*), si minus Galeni error mirus (*σαρκός*). Oritur igitur suspicio ut *ἀναχάσκειν* ita *θορῆς* glossam

---

1) Suidas s. v.: *ἔγραψε περὶ ἰατρικῆς δωρίδι διαλέκτῳ.*

2) Iambl. l. l.: *λέγεται τοίνυν ὡς φωνῇ χρῆσθαι τῇ πατρῴα ἑκάστοις παρήγγελλον ὅσοι τῶν Ἑλλήνων προσῆλθον πρὸς τὴν κοινωνίαν ταύτην.*

3) Plut. Epit. V 14, 1 (= Dox. 424 a 30): *Ἀλκμαίων τῶν ἡμιόνων τοὺς μὲν ἄρρενας ἀγόνους παρὰ τὴν λεπτότητα τῆς θορῆς καὶ ψυχρότητα· τὰς δὲ θηλείας παρὰ τὸ μὴ ʽἀναχάσκειν᾿ τὰς μήτρας· οὕτω γὰρ αὐτὸς εἴρηκε.* Galenus (Dox. 643, 9) idem, nisi quod pro *ἀναχάσκειν* dicit *ἀνακύπτειν* et pro *θορῆς* exhibet *σαρκός*, omissis extremis verbis *οὕτω γὰρ αὐτὸς εἴρηκε.*

esse ex Alcmaeonis libro servatam.[1]) Iam videamus quas collegi illius stirpis voces:

| | |
|---|---|
| θορός: | Herod. II 93. |
| | Hippocr. de morb. II 51 = VII 78, 18 L. |
| | Porphyrius de abstin. IV 9. |
| | Plutarch. Mor. 637 F. |
| | Lycophro v. 598. |
| | Etym. M. 453, 35. |
| | Aristoteles saepissime (cf. Bonitzii indicem p. 332 a 61 — b 28). |
| | Theophrastus d. caus. plant. II 9, 15. |
| | Hesych. s. v. [i. q. ὀχεία, ἡ ἔκκρισις τοῦ σπέρματος]. |
| θορικός: | Aristoteles saepissime (Bonitz l. l. 332 a 45—60). |
| θορόεις: | Oppianus q. f. Cyneget. III 522. |
| θορίσκομαι: | Anton. Liberal. c. 29. |
| θοροποιός: | Etym. M. 453, 52. |
| θορώδης: | Nemesius d. nat. hom. c. 25. |
| θόρος: | Hesych. s. v. [i. q. βάτης]. |

Spesne nos fefellit? Hanc glossam esse putabimus, quam apud tot omnium aetatum scriptores non inusitatam videmus, immo apud Aristotelem creberrimam neque ab ipso Theophrasto Doxographorum fonte alienam? At ne desperes perlustremus quae restant haecce:

| | |
|---|---|
| θορή: | Herod. III 101. |
| | Aretaeus de causis morb. II 55 E. |
| | ibid. 56 B (ter). |
| | ibid. 56 C (bis). |
| θοραῖος: | Nicander 586. |
| | Lycophro 352. |
| θουράς: | Nicander 130. |
| | Lycophro 612. |
| θουρήεις: | i. q. λαγνός. Hesychius s. v. |

1) Eiusmodi glossae quemadmodum Theophrastum delectaverint apparet e Doxogr. p. 501, 14; 513, 26; ib. 29; 515, 6 et 7; 523, 8 (vide Dielesii notam). De ionismis et Aristotelicis et Theophrasticis cf. Kaibelium (Herm. 29, 103) et Dielesium (*Göttinger gel. Anzeigen* 1894 p. 294).

| | | |
|---|---|---|
| *θούρ<ης>*: | i. q. *βάτης*. | Hesychius s. vv. |
| *θουρηταῖς*[?]: | *αἱ τῶν ζῴων μίξεις*. | |
| *θουραῖος* | | |
| *θουραίη*: | i. q. *ὀρεκτικῶς ἔχουσα*. | |
| *θούρητρα*: | i. q. *ὀχεία*. | |

Iam cum omnes has voces ionicas esse manifestum sit[1]), nescio an quis veri ducat simile, non ipso vocabulo primitivo, sed verborum exitu dialectos distare; nam quas vulgares diximus formas omnes a *θορός* derivatae sunt, contra ionicae a *θορή*: nonne igitur Ionum dialecto usum esse Alcmaeonem deprehendimus?

Cavendum tamen esse ne vano gaudio exsultemus ostendit Hesychii illud *Θοράτας· Ἀπόλλων παρὰ Λάκωσι*[2]). unde perspicuum est ut Iones voce *θορή*, ita Dores voce *θορά* usos esse et huius stirpis formas femininas esse antiquiorum, masculinas posteriorum Graecorum omnium, ita ut et *ἀναχάσκειν* et *θορή* contra Sittelii (pag. 20 sq.) certe faciant opinionem. Quaeritur igitur utrum Theophrastus in Alcmaeonis libello legerit: *θορῆς* an *θορᾶς*? Exstat in doxographis *θορῆς*. At nescio an quis dicat genitivi exitum illum *-ης* non solum Ionum, sed etiam Atticorum fuisse, quem cum suo sermoni ionica Alcmaeonis verba aptaret, ad similitudinem vocum *κούρη κόρη* Theophrastus finxisset. At per *θουρήεις θουραῖος* sim. num liceat divinare fuisse unquam radicem quandam *θορϝ* (ut *κορϝ*) equidem dubito. Ut enim praetermittam semper et Herodotum et Hippocratem et Aretaeum praebere *θορή* (*θορός*), nusquam *θουρή* (*θουρός*), en vide quemadmodum apud poetas quoque haec fluctuaverint: Lycophro 352 *θοραῖος* 598 *θορός*, idem 612 *θουράς*; Nicander 586 *θοραῖος*, idem 130 *θουράς*. Etiam [Oppianus] l. l. *θορόεις*. Videntur igitur posteriorum aetatum poetae[3]) Homerum secuti ad metri non dico necessitatem sed opportunitatem priorem

1) Nam Hesychii glossas ionicis e scriptoribus esse depromptas patefacit epenthesis q. v. ionica, et in Lycophronis *θοραῖος* ne offendas memineris quantus ille sit remotarum glossarum investigator.

2) Similiter Lycophro 352 Apollinem appellat *τὸν θοραῖον θεόν*; ubi annotat scholiasta *σπερμογόνον καὶ γεννητικόν*. Cf. Gerhard *Mythologie* § 307, 3, d; Preller-Robert *Griech. Myth.* pag. 269, 4; 730, 2; Sam Wide *Lakon. Kulte* pag. 90.

3) Hesychii glossas e poetis sumptas esse nil est cur dicere vereamur.

syllabam modo produxisse modo corripuisse, qua in re nescio an Homerico θοῦρος Ἄρης, θούριδα ἄλκην (a θορεῖν) abusi sint. Praeterea sive a voce dhvar (*stürzen*, cf. G. Curtius *Griech. Etym.* pag. 256) sive a dhârâ (*Guſs, Tropfen; açvasya dhârâ Pferdes Same*; cf. Fick *Indogerm. Wörterbuch* I[3] 695) verba illa originem petiisse putas, nusquam litterae ϝ vestigium apparet. Denique quominus illud ϝ in substantivorum et adiectivorum exitu additum esse coniciamus impedit et poetarum inconstantia et glossa Laconica θοράτας (non θωράτας). — Itaque Theophrasti forma θορῆς ionica est, quam vel neglegentia[1]) vel cum Alcmaeonis sententiam glossarum ni fallor multitudine commotus ad verbum exscriberet[2]), ex ipsius Alcmaeonis libro hausit.

Rursus igitur ionicum scriptorem Alcmaeonem agnovimus. At vereor ne quod Sisypho idem nobis accidat ut ex ipso montis cacumine lapis delabatur. Quali enim Alcmaeonis libelli exemplari Theophrastum usum esse dicemus? Nonne illud quoque ionicorum medicorum manus perpessum esse veri satis est simile?

Quamquam igitur ex eis quae exstant profligari res nequit, tamen, si quae sentiam dicere licet, cum ionicae formae plures mihi videantur quam quas lectores invitos immiscuisse credibile putem (ΚροτωνιΗτΗς, σαφΗνειαν, ΠερίθΟΥ, θορΗς contra unum ἔχοντι), ionice Alcmaeonem scripsisse censeam. —

Alcmaeonis libello quamdiu tempora pepercerint non certo scimus. Nam quod omnes fere viri docti e Philoponi (ad Arist. d. anim. 405 a 29; pag. 88, 11 Hayduck) illis τὰ συγγράμματα τῶν ἀνδρῶν τούτων (scil. Thaletis, Diogenis Apoll., Heracliti, Alcmaeonis) οὐ πρόχειρα ἡμῖν ἐστιν collegerunt illius temporibus librum non iam exstitisse, haud recte fecisse mihi videntur, cum πρόχειρον εἶναι semper quod sciam significet

1) Nostra quoque aetate virorum doctorum diligentiam fugisse videtur; deest enim quantum video eis librorum grammaticorum locis, ubi de κόρη sim. agitur. Causa autem cur ipse formae sonus Theophrasti aures non laeserit, e vocis κόρη sim. concentu inscienti ei obversante repetenda videtur.

2) Cf. Anaximandri verba Dox. 476, 8. Quod ibi legitur ἀδικίΗς utrum Theophrasto tribuendum sit an Simplicio an librariis nescimus.

'praesto esse' (cf. Plat. Theaet. 198 D), ita ut qua de causa librum non inspexerit, sive quod non iam exstabat sive quod illi ipsi, quem hominem fuisse paucorum librorum omnibus scriptis eius probatur, in promptu non erat, plane incerti haereamus. Multo magis notatu dignum, quod Simplicius vir curiosae diligentiae, qui antiquorum philosophorum haud paucorum[1]) libris ad Stagiritae verba explicanda saepissime usus est, ad Aristot. de an. 405 a 29 annotat (pag. 32, 3 Hayduck): *ὁ Ἀλκμαίων Κροτωνιάτης ὢν ὑπὸ μὲν ἄλλων* (Iamblichos et Porphyrios tangere videtur) *ὡς Πυθαγόρειος παραδέδοται, ὑπὸ δ' Ἀριστοτέλους ἐν τῇ Μετὰ τὰ φυσικὰ ὡς τὰς δύο συστοιχίας ἢ αὐτὸς παραδοὺς τοῖς Πυθαγορείοις ἢ παρ' ἐκείνων λαβὼν μνήμης ἠξίωται. ἔοικε δὲ ἄριστα φιλοσοφεῖν ὡς ἐκ τῶν νῦν λεγομένων τεκμαίρεσθαι· ἀθάνατον γὰρ λέγει τὴν ψυχὴν κτλ.* Unde apparet eum neque ipsius Alcmaeonis librum neque Aristotelis *πρὸς τὰ Ἀλκμαίωνος* adhibuisse neque omnino accuratius de Crotoniata edoctum fuisse.[2]) Simplicii autem tanta ubique elucet industria atque sedulitas, ut iam periisse eius temporibus opusculum illud veri sit simillimum. — Quod eo magis dolendum est, quod ne priores quidem Aristotelis commentatores quidquam de Alcmaeone compertum habuerunt. Etenim Themistius (ad Ar. d. an. 405 a 29, II 24 ed. Spengel) et Asclepius (ad metaph. 986 a 22; pag. 39, 21 Hayduck) in eis quae annotant Aristotelis tantum verba referunt; scriptorem vero illum anonymum cuius praeter Aristotelis scrinia Philoponus sese compilasse fatetur (ad Arist. d. an. 404 a 20; pag. 71, 6 Hayduck: *αἰνίττεται εἰς Πλάτωνα καὶ Ξενοκράτην καὶ Ἀλκμαίωνα*) in Aristotele (405 a 29) tantum niti luce clarius est.[3]) Ne Alexander quidem Aphrodisiensis Aristotelicis quidquam

1) Certe Diogenis Apolloniatae (comm. in phys. 27, 7 Diels), Parmenidis (ibid. pag. 144, 28), Anaxagorae (pag. 168, 2), fortasse etiam Empedoclis (pag. 157, 27; saepius).

2) Ne Theophrasti quidem Opiniones Simplicio praesto erant (cf. Dielesium in Proll. Dox. Graec. pag. 113).

3) De Sophonia, quem saepius sua a Philopono mutuari Hayduckius (praef. ad Soph. d. an. paraphr. pag. VI) docet, nullus dubito quin de Alcmaeone quoque (ad Ar. d. an. 405 a 29 pag. 14, 31 Hayduck) e Philopono sua excerpserit, praesertim cum e perversa eiusdem verborum inter-

addere potuit (cf. pag. 6), quamquam Theophrasteo opere eum usum esse constat. Sed ipse Theophrastus de Alcmaeone haud scio an fusius verba non fecerit.[1]) In tractatus de sensu certe reliquiis brevissime de eo locutus ne recensendis quidem placitis eius quidquam operae tribuit, quo labore cave putes idcirco eum supersedisse, quod Alcmaeonis decreta probaret, immo edito Aristotelis illo contra Alcmaeonem libro peculiari operam atque oleum se perditurum esse putavit. Quid quod etiam ea quae ex Galeno attuli de Alcmaeone dicta minime probant librum illius manibus Pergamenum tractasse? Accedit quod loco illo clarissimo, quo Rhodiis Cois Cnidiis medicis Italicos (quo nomine et Siculos et Crotoniatas comprehendi posse sane est concedendum) opponit, Siculae tantum scholae asseclas dignos censet quorum nomina afferat (de meth. med. I 1 = X 5 K.): *καὶ πρόσθεν μὲν ἔρις ἦν οὐ σμικρὰ νικῆσαι τῷ πλήθει τῶν εὑρημάτων ἀλλήλους ὀριγνωμένων τῶν ἐν Κῷ καὶ Κνίδῳ· διττὸν γὰρ ἔτι τοῦτο τὸ γένος ἦν τῶν ἐπὶ τῆς Ἀσίας Ἀσκληπιαδῶν, ἐπιλιπόντος τοῦ κατὰ Ῥόδον· ἤριζον δὲ αὐτοῖς τὴν ἀγαθὴν ἔριν ἐκείνην .... καὶ οἱ ἐκ τῆς Ἰταλίας ἰατροὶ Φιλιστίων τε καὶ Ἐμπεδοκλῆς καὶ Παυσανίας καὶ οἱ τούτων ἑταῖροι· καὶ τρεῖς οὗτοι χόροι πρὸς ἀλλήλους ἁμιλλωμένων ἐγένοντο ἰατρῶν. πλείστους μὲν οὖν καὶ ἀρίστους χορευτὰς ὁ Κῷος εὐτυχήσας εἶχεν, ἐγγὺς δὲ ἔτι τούτῳ ὁ ἀπὸ τῆς Κνίδου, λόγου δὲ ἦν ἄξιος οὐ σμικροῦ καὶ ὁ ἀπὸ τῆς Ἰταλίας.* Denique libere ipse Galenus confitetur: *συγγράμματα πλεῖστα τῶν παλαιῶν ἀνδρῶν οὐκέτι σώζεται* (XV 67 K.). Contra Meno, quamquam quae in lucem nuper prodierunt ex libro eius excerpta plane nihil de Alcmaeone nos docent, quin ea quae de Crotoniatae placitis nullo dubio exposuit ex ipsius libro hauserit non est cur dubitemus, cum Aristotelem Theophrastumque eo usum esse constet. Quin etiam Callimachi temporibus libellum exstitisse e primo fragmento (cf. pag. 34) coniecerim. Est enim e more Callimachi in *πινάκων* q. v. fragmentis ubique conspicuo, librorum inscriptionibus addere prima totius

pretatione ridiculum Sophoniae de Alcmaeonis aetate errorem ortum esse appareat (cf. pag. 8, 3).

1) Plane negligit exponere, cur eis Alcmaeonem annumeret qui *μὴ τῷ ὁμοίῳ* sensuum cognitionem faciant. Cf. Dielesium Dox. pag. 105.

operis verba. Diogenem autem Laërtium a Demetrio Magnete, quem ipsum in tabulis Callimacheis niti constat, sua mutuatum esse ut credam adducor loco simillimo VIII 85 *τοῦτόν* (scil. Philolaum) *φησι Δημήτριος ἐν ὁμωνύμοις πρῶτον ἐκδοῦναι τῶν Πυθαγορικῶν περὶ φύσεως, ὧν ἡ ἀρχὴ ἥδε· Φύσις δ' ἐν τῷ κόσμῳ ἁρμόχθη ἐξ ἀπείρων τε καὶ περαινόντων καὶ ὅλος ὁ κόσμος καὶ τὰ ἐν αὐτῷ πάντα.* Cf. Nietzschium Mus. Rhen. XXIV (1869) pag. 184 sq.

Itaque antiquorum iam memoria Alcmaeonis liber prorsus evanuit, sive quod oblivione obrutus est sive quod, cum vetustioribus iam temporibus nullo dubio satis rarus esset[1]), Aristotelis *πρὸς τὰ Ἀλκμαίωνος* libello, in quo et ipsi Stagiritae summa sapientiae Alcmaeonianae delineanda erat, ut paratiore auxilio uti malebant viri docti. Iam cum ne hoc quidem opusculum temporum iniquitatem diu tulisse videatur, mirum non est quod vix frustula minuta Alcmaeonianae doctrinae nobis exstant. Et vix est cur speremus fore ut e codicibus medicis nondum satis excussis lux quaedam Crotoniatae affulgeat. Quod genus cave decipiaris Crameri (Anecd. Graeca Paris. I 388, 7) verbis his: „Plurima insunt (scil. in cod. Paris. 1853 scholiis) de Alcmaeone Crotoniata, de Parmenide, Melisso et Xenophane". En habes quae precibus meis commotus Kalbfleischius amicus e codice illo excerpsit (Paris. gr. 1853 fol. 229ᵛ): *ἱστορεῖ δὲ* (scil. Aristoteles Met. A 5, 986 a 22 sq.) *ὅτι καὶ Ἀλκμαίων ὁ Κροτωνιάτης τὸν αὐτὸν τρόπον τούτοις* (scil. Pythagoreis) *ἀπεφήνατο· εἰς γὰρ ἐναντίωσίν τινα τῶν ὄντων ἕκαστον ἀνάγειν ἐπειρᾶτο καὶ οὗτος ὡς ἀρχῶν οὐσῶν τῶν ἐναντιώσεων. καὶ ἢ οὗτος τὰς ἀρχὰς ταύτας παρὰ τῶν Πυθαγορείων παρέλαβεν ἢ οἱ Πυθαγόρειοι παρὰ τούτου· ἔφθασε γὰρ γέροντα τὸν Πυθαγόραν ὁ Ἀλκμαίων. διαφέρει μέντοι τῶν Πυθαγορείων οὗτος, παρ' ὅσον ἐκεῖνοι μὲν ὡρισμένας ὑπέθεντο τὰς ἐναντιώσεις καὶ πεπερασμένας· δέκα γάρ· αὐτὸς δὲ ἀπείρους καὶ ἀορίστους.* Confer ipsius Aristotelis verba, confer quae annotant Asclepius atque Alexander: iam videbis quanti haec sint pretii.

1) Anaximandri certe liber longe maiorem apud omnes gloriam adeptus Apollodori iam temporibus difficillimus erat inventu (Diog. La. II 1).

# Altera pars.

## Fragmenta.

### Fragm. I.

Laërt. Diog. VIII 83: Ἀλκμαίων Κροτωνιήτης τάδε ἔλεξε, Πειρίθου υἱός, Βροντίνῳ καὶ Λέοντι καὶ Βαθύλλῳ· Περὶ τῶν ἀφανέων, περὶ τῶν θνητῶν σαφήνειαν μὲν θεοὶ ἔχοντι· ὡς δὲ ἀνθρώποις τεκμαίρεσθαι καὶ τὰ ἑξῆς. —

Suo iure haeserunt viri docti in vocibus περὶ τῶν θνητῶν, quae sensu carent. Nam ei[1]) sine dubio errant qui quae tradita sunt servari posse arbitrantur, rati Alcmaeonem aut voce ἀφανέων divina aut voce θνητῶν ea quae sensibus percipiuntur significasse. Neutra enim interpretatio sine molestia ferri potest neque facile est intellectu, cur sententiae vim perversa oppositione Alcmaeo debilitaverit, cum solitis verbis eisque multo distinctioribus uti ei licuerit. Neque tamen ad Zelleri, Cobeti (in Laërtii edit. l. l.), Gomperzii (*Griech. Denker* I 119) partes accedam qui interpretationem illam recte spernentes verba περὶ τῶν θνητῶν ut extrinsecus interpolata delenda esse putant; quamquam etiam Ioa. Iacob. Reiskium, cuius egregiae in Laertium Diogenem animadversiones e codice Havniensi excerptas in Hermae vol. XXIV 302 sqq. magnam partem publici iuris factas invenies, similiter illis hoc de loco iudicasse Dielesius qua est benignitate certiorem me facit. Annotavit enim in manuscripto suo libello Reiskius haec: 'Post περὶ τῶν ἀφανέων addendum ἤ. Nolim tamen contendere haec verba non aut a Laërtio aut ab alio quodam sedulo lectore explicandi gratia aspersa fuisse.' Qui omnes qui factum sit ut glossema quod putant περὶ τῶν θνητῶν verbis περὶ τῶν ἀφανέων adderetur explicare neglegunt. Nec multum

1) Ita Unna l. l. pag. 63; Krug *Allgem. Handwörterbuch d. philos Wiss.* s. v. Alkmaeon; *Dictionnaire des sciences philos.* I s. v. Alcméon.

ab illis differt Sanderi ratio, qui etiamsi verba illa uncis non includit, tamen in fragmento interpretando sese neglecturum esse dicit. Hoc falsissimum; tantum enim ad totius fragmenti sententiam percipiendam interest, quam vim eis subiciamus, ut qui delendas eas esse neget quid sonare eas putet dicat necesse sit. Ita enim res se habet.

Deletis illis homines eo a deis discrepare dicuntur, quod quae ab ipsis intelligi possint artioribus finibus circumscripta sint. Nam qui dicit: 'Quae recondita sunt, dei sciunt, homines conicere tantum possunt' nequaquam negat aperta ne homines quidem ignorare.

Servatis illis et quovis modo correctis duplex offertur ratio interpretandi. Aut idem sonant verba corrigenda quod *ἀφανέων*: iam eodem quo exposui modo in finium diversitate humanae divinaeque scientiae differentia posita est; aut aliud ita ut *τὰ ἀφανῆ* et *τὰ* †*θνητά* res quascumque investigendas comprehendant: iam vides homines a deis non quantitate ut ita dicam, sed qualitate scientiae omnibus in rebus percipiendis vinci. Itaque qui verba *περὶ τῶν θνητῶν* delenda esse negat, minime neglegat, immo interpretetur ea oportet.

Sunt qui priorem emendandi viam secuti *ἀθανάτων* pro *θνητῶν* scribi iubere videantur[1]), sive quod *ἀθανάτων* appositionis quam nos dicimus loco additum esse putant, sive quod *τὰ ἀφανῆ* omnia esse volunt, quae non solum in rebus divinis sed in humanis quoque cerni non possunt, ita ut *τὰ ἀθάνατα* quasi pars sit *τῶν ἀφανέων*. Sed utrumque minime credibile. Ut omittam dici vix posse, quomodo pro *ἀθανάτων* scriptum sit *θνητῶν*, hoc comprobari non potest, quod certe scribendum erat mutato ordine 'divina et [omnia omnino] quae cerni non possunt'; illud, quod appositio supervacanea nos offendit atque etiam de humanis rebus si cerni non possunt dubitasse eum e frg. XVII elucet.

Sed altera fortasse via aliquid proficiemus, ita scil. ut in verbis *περὶ τῶν ἀφανέων περὶ τῶν θνητῶν* omnium quae

1) Neque enim distinctis utuntur verbis, ut Bruckerus (hist. philos. crit. pag. 1131): 'malim immortalium, scil. Deorum'; similiter Stanleyus vertit 'de invisibilibus et immortalibus rebus' (hist. philos. Lipsiae 1711 pag. 823).

cognosci possunt rerum summam comprehendi sumamus. Quae interpretatio nescio an eo magis arrideat, quod eiusmodi opiniones saepius apud eius aetatis eiusque regionis philosophos inveniantur. Ita Parmenides *δόξαν* hominum, *ἐπιστήμην* deorum diligenter distinguit, et triti sunt philosophis Xenophanis versus (frg. 14 K.):

*καὶ τὸ μὲν οὖν σαφὲς οὔτις ἀνὴρ γένετ' οὐδέ τις ἔσται*
*εἰδώς, ἀμφὶ θεῶν τε καὶ ὅσσα λέγω περὶ πάντων.*
*εἰ γὰρ καὶ τὰ μάλιστα τύχοι τετελεσμένα εἰπών,*
*αὐτὸς ὅμως οὐκ οἶδε· δόκος δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται.*

Neque tamen apte conferuntur philosophorum dicta, quae in ratione nitantur, et medici secandi arte intima scrutantis. Praeterea inauditum illud asyndeton *περὶ τῶν ἀφανέων περὶ τῶν †θνητῶν* quomodo explicari possit non video. Nam quamquam saepius contraria asyndeto iunguntur[1]), et trita sermone et multo breviora (ut *ἄνω κάτω* sim.) talia esse apparet. Immo ipsum illud asyndeton cum manifestum interpolationis vestigium esse videatur, Bernaysii sequi malo coniecturam, de qua Dielesius certiorem me facit. Bernaysius igitur existimat glossema *περὶ τῶν ἀφανέων* genuinis verbis eisque insolitis *περὶ τῶν ἀθεήτων* superscriptum per errorem in Alcmaeonis verba receptum esse; iam primam vocis *ἀθεήτων* litteram calami lapsu omissam et *E* in *N* mutatum esse. A quo equidem eo tantum recedo, quod scribere malo *ΑΘΗΗΤΩΝ* quippe quod facilius in *ΑΘΝΗΤΩΝ* pessumdari potuerit.[2]) Itaque

1) Cf. Kühner *Ausführl. Gramm.* II² pag. 865 § 546 d.

2) *Ἀθήητος*, i. q. invisibilis vel qui videri nequit, invenitur apud Nonnum Metaphr. Evang. Ioa. I 58, ib. 211, III 41, ib. 64, VII 17, XIV 31, ib. 68; Dionys. II 6. *Θηητός* iam apud Hesiodum invenitur (Theog. 31) nec non apud Tyrtaeum (frg. X 29 Bergk, ubi libri *θνητός*!), saepius apud Dionysium Periegetam vv. 463, 513, 841, 1152 (ubi Aldina *θνητός*!); adde C. I. Gr. III 6779, 4. Similia sunt *θηητής* (Hesychius s. v.: i. q. *θεωρός*), *θηητήρ* (Od. 21, 397; Hesych. s. v.: i. q. *θαυμαστής*, *θεατήρ*). Doricum *θαητός*, quod et ipsum, dorice scripsisse si putandus est Alcmaeo, facillimo calami lapsu in *θνητός* mutari potuit, exstat Pind. Isthm. 4, 40; Pyth. 4, 470; 4, 142; Nem. 1, 54; Theocr. 15, 84; Paus. VI 3, 14 (in epigr.). Quibus omnibus locis et *θαητός* et *θηητός* significant i. q. *θαυμαστός*, non i. q. *ὁρατός*. Quod ne mireris memineris, etiam verbo *θηέομαι* utramque subesse et contemplandi et mirandi notionem (cf. Herod. I 10 et III 136).

scripsisse videtur Alcmaeo: Ἀλκμαίων Κροτωνιήτης τάδε ἔλεξε, Πειρίθου υἱός, Βροτίνῳ καὶ Λέοντι καὶ Βαθύλλῳ· περὶ τῶν ἀθηήτων σαφηνείην μὲν θεοὶ ἔχουσι· ὡς δὲ ἀνθρώποις τεκμαίρεσθαι κτλ. — Gomperzius supplet ὧδέ πως ἔχει, tamquam si traditum sit ὡς δὲ ἄνθρωπον τεκμαίρεσθαι. Neque tamen scio an plura sint omissa et in eis ἔξεστι vel tale quid, unde pendeat dativus ἀνθρώποις; e. gr. ὡς δὲ ἀνθρώποις τεκμαίρεσθαι ἔξεστιν ἐκ τῶν αἰσθάνονται, ὧδε ἐγὼ ἐρέω. Praeterea breviora videntur Gomperzii verba quam quae omnia afferre Callimachus longum putaverit. Ac ne sententiae exeuntis omissionem a Callimachi more abhorrere dicas, legas velim haec (Athen. VI p. 244 A): τοῦ Χαιρεφῶντος καὶ σύγγραμμα ἀναγράφει Καλλίμαχος ἐν τῷ τῶν παντοδαπῶν πίνακι γράφων οὕτως· Δεῖπνα ὅσοι ἔγραψαν· Χαιρεφῶν Κυρηβίωνι, εἶθ' ἑξῆς τὴν ἀρχὴν ὑπέθηκεν· Ἐπειδή μοι πολλάκις ἐπέστειλας. στίχων τοε'.[1])

Denique de forma huius enuntiati pauca addam. Agnosco procemii morem perantiquum ex epicorum carminum consuetudine conspicuum, quo de cf. Diels Herm. XXII 436 et Wilamowitz *Aristot. u. Athen* I 130, 12. Omnium quae illi congesserunt prooemiorum simillimum est Hecataei: Ἑκαταῖος Μιλήσιος ὧδε μυθεῖται· τάδε γράφω ὡς ἐμοὶ ἀληθέα δοκέει εἶναι etc., nisi quod dedicationem quoque prooemio Alcmaeo inseruit, quae ex epistolarum inscriptionibus repetenda videtur (Wilamowitz l. l.). Comparanda est, ut Anaxagorae parum certum exemplum[2]) itemque posteriorum mathematicorum imprimis morem omittam, aequalis Empedoclis consuetudo (v. 1 St.).

---

Praeterea eodem modo Atticorum θεατός utramque complectitur significationem (Hesych. s. v.: ὁρατός, θεωρητός, ἐκλεκτός), cum forma negativa ἀθέατος mirandi notionem spernat. Denique ne in ipsa quidem Iade illius significationis vestigia plane deesse docet Hesychius (θηητής· θεωρός).

1) Hoc tantum interest quod illic media interrumpitur sententia adiectis καὶ τὰ ἑξῆς, hic virgula terminata esse videtur.

2) Nomen in Pseudo-Aristotelis de plantis I 2, 817 a 27 sine dubio corruptum ac per tot interpretum manus traditus ne sensus quidem loci certus est. — Alcmaeonem omisit Graefenhain De more libros dedicandi apud scriptores Graecos et Romanos obvio (Marburgi 1892 Diss. phil.).

Vides igitur vel ipsius exordii formam minime favere Sittelii suspicioni (p. 20 sq.). Neque enim in falsarios hunc prooemii morem in quinti saeculi scriptoribus solemnem summo studio imitantes (Lobeck Aglaoph. 722) digitum intendere licebit, priusquam in ceteris quoque Alcmaeonis fragmentis certis indiciis manus eorum ille monstraverit, quod vereor ne fieri non possit.

**Fragm. II.**

Theophrastus de sensu § 25 (Dox. 506, 19): *τῶν δὲ μὴ τῷ ὁμοίῳ ποιούντων τὴν αἴσθησιν Ἀλκμαίων μὲν πρῶτον ἀφορίζει τὴν πρὸς τὰ ζῷα διαφοράν. ἄνθρωπον γάρ φησι τῶν ἄλλων διαφέρειν ὅτι μόνον ξυνίησι· τὰ δ' ἄλλα αἰσθάνεται μέν, οὐ ξυνίησι δέ, ὡς ἕτερον ὂν τὸ φρονεῖν καὶ αἰσθάνεσθαι καὶ οὔ, καθάπερ Ἐμπεδοκλῆς, ταὐτόν. ἔπειτα περὶ ἑκάστης λέγει.* —

*μόνον*] *μόνος* corr. post Zellerum I. Kleinius (quaestiones Nigid. p. 26 VIII), Dielesius. Sed *μόνον* quod exstat in PF explicat et defendit Vahlenus ad Aristot. poet.[3] pag. 103*.

Ad *ὡς ἕτερον .... ταὐτόν* recte Unna annotat: 'haec verba extrema sunt Theophrasti, non Alcmaeonis, qui contra Empedoclem contendisse non potest'. Idem vehementer errat his: '*ἔπειτα* non ad *πρῶτον* refertur, sed *ἔπειτα* operis, *πρῶτον* aetatis ordinem indicat; alioqui ponendum erat *μὲν* post *πρῶτον*'. Neque tamen difficile est intellectu, cur voce *μέν* non usus sit Theophrastus, ita ut haec omissio levius sane sit peccatum quam Unnae, qui et *πρῶτος* et *ἀφώρισε* legendum sibi fuisse non animadvertit.

Primum Alcmaeonem rationem et sensus inter se distinxisse Philippsonus (*Ὕλη ἀνθρωπίνη* p. 186) haud scio an nimia confidentia contenderit. Nam etiamsi ea, quae de Pythagora et Xenophane (cf. Zellerum I[5] 1, 548; Karstenium phil. gr. vet. I 1, 192) sensui diffidentibus tradit Stobaeus (Dox. 396[b] 12), dubitatione non carent, tamen Heraclitum Alcmaeonis fere aequalem sensus a ratione secernendos esse non ignorasse apparet[1]), ita ut uter prior docuerit quaerendum sit. Utut

1) frg. III, IV, XIX Bywater. Haud secus Parmenides (v. 55 sq. Karsten). Cf. Zellerum I 1[5], 565.

diiudicatur haec res, hoc Alcmaeoni laudi dandum esse videtur, quod primus hanc ad normam homines a ceteris animalibus segregavit.[1]) Qua doctrina quantum inter aequales Alcmaeo praestiterit, Aristotelis docent verba quamvis improba in nonnullos philosophos: *οἱ ἀρχαῖοι τὸ φρονεῖν καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι ταυτὸν εἶναί φασιν* (de an. III 3 pag. 427 a 21); et recte Philippsonus ne ipsum quidem Stagiritam Alcmaeone meliora excogitasse annotat: *ὅτι μὲν οὖν οὐ ταὐτόν ἐστι τὸ αἰσθάνεσθαι καὶ τὸ φρονεῖν, φανερόν· τοῦ μὲν γὰρ πᾶσι μέτεστι, τοῦ δὲ ὀλίγοις τῶν ζῴων* (ib. b 6). Empedocles autem, quem Alcmaeonis librum in suo *περὶ φύσεως* opere conscribendo saepius adhibuisse infra patescet, huic ni fallor Alcmaeonis opinioni contrarius exsistit, cum sensus a ratione distinguendos esse et ipse arbitratus (Rohde Psyche pag. 469) tamen docet:

*πάντα γὰρ ἴσθι φρόνησιν ἔχειν καὶ νώματος αἶσαν,*

sententiae vim verborum positione manifesto augens.

Itaque solus homo ratione est praeditus, qua quamquam bestiis praestat, a deis longe superatur. Qua de causa cavet Alcmaeo ne nimium rationi tribuat, ita ut in occultis rerum causis explorandis ad coniecturas refugere non dedignetur ille quidem, sed quam illae sint incertae nunquam nesciat et vanis futilibusque opinionibus commenticiis, quae sensuum confirmatione plane careant, in rebus abditis progredi nolit (cf. fragm. XVII), ab Heracliti Parmenidisque insolentia remotissimus. Haec est qua medico ingrediendum est via, nec sine magno medicinae detrimento factum est, ut posteriores medici philosophiae magis quam medicinae ratione de humani corporis natura locuti vanis coniecturis indulgerent; quae opinionum commenta suo iure vituperat libri de prisca medicina auctor (Hippocr. I 2, 1 Kühlewein) quem Alcmaeonis placita respicere infra videbimus: *διὸ οὐκ ἠξίουν ἔγωγε κενῆς*[2]) *αὐτὴν* (scil. medicinam) *ὑποθέσιος δεῖσθαι ὥσπερ τὰ ἀφανέα καὶ ἀπορεό-*

1) Brandisius tamen (*Gesch. d. Entwicklung d. Philos.* I 190) haud recte solam vivendi facultatem („*Lebensprinzip*") ab Alcmaeone plantis concessam esse dicit. Magnopere enim distat aut sola vivendi facultate praeditum esse aut praeter eam sensibus, quare bestias a plantis Aristoteles saepius distinguit (de sensu $436^b$ 10, al.).

2) Gomperz *Griech. Denker* 245 sq.

μενα· περὶ ὧν ἀνάγκη, ἤν τις ἐπιχειρῇ τι λέγειν, ὑποθέσει χρῆσθαι, οἷον περὶ τῶν μετεώρων ἢ τῶν ὑπὸ γῆν, ἃ εἴ τις λέγοι καὶ γιγνώσκοι ὡς ἔχει, οὔτ' ἂν αὐτῷ τῷ λέγοντι οὔτε τοῖς ἀκούουσι δῆλα ἂν εἴη εἴτε ἀληθέα ἐστὶν εἴτε μή· οὐ γάρ ἔστι πρὸς ὅ τι χρὴ ἀνενέγκαντα εἰδέναι τὸ σαφές.

Quocum optime consentit, quod omnem scientiam e sensibus manare Alcmaeo docuisse videtur. Quod quamquam ex eis quae e libro eius exstant vel quae nominatim ei tribuuntur non elucet, tamen concludi potest e Phaedonis Platonici p. 69 B, quem locum ab Alcmaeone originem petiisse Hirzelius demonstravit (Herm. XI 240): ὁ ἐγκέφαλός ἐστιν ὁ τὰς αἰσθήσεις παρέχων τοῦ ἀκούειν καὶ ὁρᾶν καὶ ὀσφραίνεσθαι· ἐκ τούτων δὲ γίγνοιτο μνήμη καὶ δόξα, ἐκ δὲ μνήμης καὶ δόξης λαβούσης τὸ ἠρεμεῖν κατὰ ταῦτα γίγνεσθαι ἐπιστήμην. E sensuum igitur perceptionibus memoria in anima retentis oritur δόξα: haec optime cum eis quae modo exposui consentiunt. Sed quae sequuntur offensione non carent. Itaque Ioëlius (*Fichtes Zeitschrift für Philosophie* 97, 226), cum saepius Plato talia ut a se ipso excogitata proferat (Meno 97 E; Zeller $I^5$ 1, 489, 2), μνήμην et δόξαν a Platone addita esse ratus e sensibus ἐπιστήμην oriri Alcmaeonem docuisse censet. Equidem cum Zellero de voce ἠρεμεῖν dubito, quam si constantiam opinionis iterum ac saepius idem expertae itaque confirmatae intelligere non possumus recteque interpretatus est Aristoteles[1]), Alcmaeonianam non esse constat. Accedit quod ne prior quidem enuntiati pars, quae est de sensibus, Platonis manus non prodit (cf. pag. 53 n. 4).

Sed iam quae de singulis sensibus Alcmaeo docuerit videamus.

**Fragm. III.**

Theophr. de sensu 25 (Dox. 506, 23): ἀκούειν μὲν οὖν φησι τοῖς ὠσίν, διότι κενὸν ἐν αὐτοῖς ἐνυπάρχει· τοῦτο γὰρ ἠχεῖν. φθέγγεσθαι δὲ τῷ κοίλῳ, τὸν ἀέρα δ' ἀντηχεῖν.

1) anal. priora II 19 pag. 100 a 3: ἐκ μὲν οὖν αἰσθήσεως γίνεται μνήμη, ὥσπερ λέγομεν, ἐκ δὲ μνήμης πολλάκις τοῦ αὐτοῦ γινομένης ἐμπειρία· ..... ἐκ δ' ἐμπειρίας ἢ ἐκ παντὸς ἠρεμήσαντος τοῦ καθόλου ἐν τῇ ψυχῇ, τοῦ ἑνὸς παρὰ τὰ πολλά, ὃ ἂν ἐν ἅπασιν ἓν ἐνῇ ἐκείνοις τὸ αὐτό, τέχνης ἀρχὴ καὶ ἐπιστήμης.

Aëtius Plac. 16, 2 (Dox. 406 a b 21): Ἀλκμαίων ἀκούειν ἡμᾶς τῷ κενῷ τῷ ἐντὸς τοῦ ὠτός· τοῦτο γὰρ εἶναι τὸ διηχοῦν κατὰ τὴν τοῦ πνεύματος εἰσβολήν· πάντα γὰρ τὰ κοῖλα (sic Stob. κενὰ Plut.) ἠχεῖ. —

In Theophrasti verbis τοῦτο γὰρ ἠχεῖν· φθέγγεσθαι δὲ τῷ κοίλῳ· τὸν ἀέρα δ' ἀντηχεῖν[1]) Dielesius nil iam mutandum esse ratus[2]) verti iubet 'sonum autem edere (scil. τὸ κενόν) cavo h. e. propter cavernam auris interioris'. Erit igitur τὸ κενόν i. q. ὁ ἀήρ[3]), τὸ κοῖλον i. q. ἡ κοιλία (cf. Bonitz ind. Aristot. 398 b 31 τὸ κοῖλον τῆς καρδίας sim.).

Et verba illa φθέγγεσθαι δὲ τῷ κοίλῳ parenthesis loco interposita esse inde facile intelligitur, quod Aëtius non solum ceterorum e conexu ea exemit, sed etiam ita loquitur ut Alcmaeoni haec tribuenda esse non sit conspicuum (ἠχεῖ pro ἠχεῖν), qua de causa Psellus (de omnif. doctr. 81, Dox. 406 testim. Plut.) plane ea omisit. Denique ne vox δέ posita pro γάρ te offendat, ad Kuehneri *Ausführl. Grammat. d. griech. Sprache*[3] II 2 pag. 816 (§ 532, 2) te delego.

Itaque ea re sonum effici Alcmaeo putat, quod aer motus in aures irrumpens aerem internum moveat ita ut undique saeptus vibratione resonet. Vides minime opus esse Philippsoni (l. l. pag. 107) coniectura (κόχλῳ pro κοίλῳ); immo simillimum hoc placitum Aristotelis hac de re opinioni, id quod ne ipse quidem neglexisse videtur. Pro certo enim habeo locum d. an. II 8, 419 b 33, quem post Corsinium (ad Plut.) Unna, Philippsonus, Sanderus huc spectare dixerunt, Alc-

---

1) Sic membra orationis distinguo.

2) Cf. Dox. proll. pag. 223 (τοῦτο γὰρ ἠχεῖν [φθέγγεσθαι] διὰ τὸ κοῖλον) et notam ad pag. 506, 23 (τοῦτο γὰρ ἠχοῦν φθέγγεσθαι διὰ τὸ κοῖλον). Sanderus illa emendatione spreta in hac se acquiescere dicit. Sed etiamsi quae tradita sunt dici nequirent, tamen non assentirer, cum non solum ἠχοῦν verbo φθέγγεσθαι additum supervacaneum esset, sed etiam homoioteleuton illud, quod casu factum esse vix crediderim, immo ad augendam oppositionis vim ab ipso scriptore adhibitum esse contendo

τοῦτο γὰρ ἠχεῖν
τὸν ἀέρα δ' ἀντηχεῖν,

plane deleretur.

3) Aristot. de an. II 8, 419[b] 33 (cf. h. diss. pag. 42) τὸ δὲ κενὸν ὀρθῶς λέγεται κύριον τοῦ ἀκούειν· δοκεῖ γὰρ εἶναι κενὸν ὁ ἀήρ.

maeonem eiusque sectatores denotare: *τὸ δὲ κενὸν ὀρθῶς λέγεται κύριον τοῦ ἀκούειν. δοκεῖ γὰρ εἶναι κενὸν ὁ ἀήρ, οὗτος δ' ἐστὶν ὁ ποιῶν ἀκούειν, ὅταν κινηθῇ συνεχὴς καὶ εἷς ...... αὐτὸ μὲν δὴ ἄψοφον ὁ ἀὴρ διὰ τὸ εὔθρυπτον· ὅταν δὲ κωλυθῇ θρύπτεσθαι, ἡ τούτου κίνησις ψόφος. ὁ δ' ἐν τοῖς ὠσὶν ἐγκατῳκοδόμηται πρὸς τὸ ἀκίνητος εἶναι, ὅπως ἀκριβῶς αἰσθάνηται πάσας τὰς διαφορὰς τῆς κινήσεως ..... καὶ διὰ τοῦτό φασιν ἀκούειν τῷ κενῷ καὶ ἠχοῦντι, ὅτι ἀκούομεν τῷ ἔχοντι ὡρισμένον τὸν ἀέρα.* Unus Trendelenburgius annotat fortasse ab Empedocle talia dicta esse. Sed ipse confitetur: 'Fragmenta certum indicium non praebent'. Immo contra dicunt quae pag. 420 a 5 addit Aristoteles: *οὐ πάντῃ τὸ ζῷον ἀκούει οὐδὲ πάντῃ διέρχεται ὁ ἀήρ*, cum contrarium docuerit Empedocles (Zeller I[5] 800, 1).

Primus Alcmaeo exponere conatus est, quomodo aer motus in sonum mutaretur. Qua in re ut in multis eiusmodi Empedocles eum secutus corrigere sibi visus est; sed quamvis melius de anatomica auris structura edoctus puerili ratione ita sonum oriri vult, ut *τὸ χονδρῶδες* quod dicit (Dox. 406 a 16, cf. 501, 14) quasi tintinnabulum (*κώδων*) ab aere concussum sonos reddat. Ubi si rectius Zellerus *κώδωνα* interpretatur tubam, multo etiam magis placita eorum congruunt, cum uterque ex sola auris forma sonandi causam repetat. Ceteri philosophi ac medici qui hac de re egerunt, Plato (Dox. 500, 14 = Tim. 67 B), Anaxagoras (507, 19 *τὸ περιέχον* [scil. *τὸν ἐγκέφαλον*] *ὀστοῦν*), Clidemus (510, 5 et 9), Diogenes Apolloniata (406 a b 25; 510, 18; 511, 7), Democritus (515, 5 sqq.), plerique ipsam aurem ad sonum efficiendum nil valere, immo cerebri pulsu vel aeris circa cerebrum positi sonitu gigni eum arbitrantur, ita ut auris nil nisi transitus aeris sit.[1]) Nec secus auctor de loc. in hom. (c. 2 = Hippocr. VI 278 L.) vacuum circa aures positum (*τὰ περὶ τὰ ὦτα πέριξ κενεά*) sonare docet.[2]) In quos

1) Diogenem contra Alcmaeonem dicere veri non dissimile mihi videtur, quoniam optimam quamque aurem, cum aere in ipsa aure sonante auditus impediatur, tenuissimi meatus esse dicit; *ἐὰν δὲ εὐρυτέρα ᾖ ἡ ἀκοή, κινουμένου τοῦ ἀέρος ἦχον εἶναι καὶ τὸν ψόφον ἄναρθρον διὰ τὸ μὴ προσπίπτειν πρὸς ἠρεμοῦν.*

2) Videntur igitur quae Aristoteles fabulatur (de part. an. II 10.

invectus est Ps.-Hippocr. de princ. 15 (VIII 603 L.): *εἰσί τινες οἳ ἔλεξαν φύσιν ξυγγράφοντες ὅτι ὁ ἐγκέφαλός ἐστιν ὁ ἠχέων· τοῦτο δὲ οὐκ ἂν γένοιτο.* Ipse paullo ante (c. 15 = VIII 602 L.) *ἀκούει*, inquit, *διὰ τόδε· τὰ τρήματα τῶν οὐάτων προσήκει πρὸς ὀστέον σκληρόν τε καὶ ξηρὸν ὅμοιον λίθῳ· τοῦτο δὲ πέφυκε πρὸς ὀστέον κοίλωσις σηραγγώδης· οἱ δὲ ψόφοι ἀπερείδονται πρὸς τὸ σκληρόν· τὸ δὲ ὀστέον τὸ κοῖλον ἐπηχεῖ διὰ τοῦ σκληροῦ· τὸ δὲ δέρμα τὸ πρὸς τῇ ἀκοῇ πρὸς τῷ ὀστέῳ τῷ σκληρῷ λεπτόν ἐστι ὥσπερ ἀράχνιον, ξηρότατον τοῦ ἄλλου δέρματος. τεκμήρια δὲ πολλὰ ὅτι ξηρότατον ἠχεῖ μάλιστα· ὅταν δὲ μέγιστον ἠχήσῃ, τότε μάλιστα ἀκούομεν.* Simillimus igitur hic Alcmaeoni, nisi differt eo quod cerebro minimam tribuit cognoscendi facultatem[1]); similior auctor de morbis II (cap. 4 = VII 10 sq. L.) qui *τὸ κατὰ τὸ οὖς κενεὸν* sonum efficere eumque cerebro *ἐνσημαίνειν* vult.

Liceat subiungere aliud fragmentum et ipsum ad aures pertinens.

**Fragm. IV.**

Aristot. hist. an. I 11 pag. 492 a 14: *Ἀλκμαίων οὐκ ἀληθῆ λέγει, φάμενος ἀναπνεῖν τὰς αἶγας κατὰ τὰ ὦτα.* —

Schulzius proximi saeculi medicus hanc ad opinionem eo inductum esse Alcmaeonem putavit, quod meatum illum e palato ad auris tympanum ducentem, quem nos tubam Eustachianam dicere solemus, animadvertisset.[2]) Miror multos et doctissimos viros ab eius sententia non recessisse[3]) graviterque increpuisse Aristotelem, qui meatum illum a se inventum esse perfide gloriaretur (hist. an. I 11 p. 492 a 19: *τοῦτο* [scil.

656 b 13) *τὸ ὄπισθεν* (scil. *τῆς κεφαλῆς*) *οὐκ ἔχει ἐγκέφαλον* latius tum diffusus error fuisse (pag. 511, 7).

1) pag. 584, 9 *δοκεῖ δέ μοι ὃ καλέομεν θερμὸν ἀθάνατόν τε εἶναι καὶ νοεῖν πάντα καὶ ὁρῆν καὶ ἀκούειν* coll. pag. 588, 14 *ὁ ἐγκέφαλός ἐστι μητρόπολις τοῦ ψυχροῦ.* Tamen c. 16 (pag. 604, 9) *ὀσφραίνεται δ' ὁ ἐγκέφαλος ὑγρὸς ἐὼν αὐτὸς τῶν ξηρῶν.*

2) Schulze-Khelle hist. anat. spec. I (Altorfi 1721).

3) Kühn (opusc. med. et phil. I 70 Lips. 1827), Hecker (*Gesch. d. Heilkunde* pag. 78), Haeser (*Gesch. d. Med.* pag. 82), Helmreich (in Hirschii *Lexikon d. hervorragendsten Ärzte* s. v. Alcmaeon), Isensee (*Grundrifs d. Natur- u. Heilkunde* pag. 4).

τὸ οὖς] *εἰς μὲν τὸν ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει πόρον, εἰς δὲ τὸν τοῦ στόματος οὐρανόν*). Equidem ab Unnae atque Sprengelii (*Versuch e. pragm. Gesch. d. Arzneiwiss.* p. 299) partibus sto prorsus negantium tubam Eustachianam ab Alcmaeone videri potuisse.

Sed minus recte eidem Palladis opinionem sequuntur, qui, cum in Spicilegii zoologici tom. II pag. 42 (Berol. 1776) dixerit: ‘Plane desunt ibici singulares illi sinus cutacei, rugosi, caeci, quos rupicaprae pone cornua utrinque singulos exhibent quibusque ab animalibus omnibus sese distinguunt’, iam annotat hos sinus antiquos quoque scriptores notos habuisse et spiracula illos putasse. Sed quid caprae vulgari cum rupicapris, quas ipse Pallas solas talia exhibere dicit? Nam parum veri similiter venatorum hanc unquam fuisse fabulam ad vulgares postea capras translatam existimat. Sunt qui similia tradant[1]): omnes de capris quibus desunt sinus cutacei, omnes de ipsis auribus loquuntur; complures pastorum, nemo venatorum testimonio nititur. Oppianus autem, qui solus de *αἰγά-*

1) Varro d. r. r. II 3: De quibus (scil. capris) admirandum illud quod etiam Archelaus scribit, non ut reliqua animalia naribus, sed auribus spiritum ducere solere pastores(!) aliquot curiosiores dicunt. — Plin. nat. hist. VIII 50, 76: Auribus eas spirare, non naribus, neque unquam febri carere Archelaus auctor est. — Philes d. anim. propriet. (Poetae buc. et didact. gr. edid. Lehrs et Dübner I 55): *τὴν αἶγά φασιν ἀπὸ τῶν ὤτων πνέειν, Ἀλγοῦσαν οὐδὲν τῆς ῥινὸς πεφραγμένης.* — Origenes Philosophumena IV 31 (pag. 67 Müller): *αἰγῶν δὲ κἂν ἐπιπάσῃ τις κηρωτῇ τὰς ἀκοάς φασι θνήσκειν μετ' ὀλίγον ἀναπνεῖν κωλυομένας. ὁδὸν γὰρ αὐταῖς ταύτην εἶναι λέγουσι τοῦ δι' ἀναπνοῆς ἑλκομένου πνεύματος.* — Paullo aliter Aelianus hist. anim. I 53: *ἔχει τι πλεονέκτημα ἡ αἴξ, τὴν τοῦ πνεύματος εἰσροήν, ὡς οἱ νομευτικοὶ λόγοι καὶ ποιμενικοί φασιν. ἀναπνεῖ γὰρ καὶ διὰ τῶν ὤτων καὶ διὰ τῶν μυκτήρων καὶ αἰσθητικώτατον τῶν διχήλων ἐστί.* — Horapollo Hieroglyph. 2, 68: *τινὰ δὲ κατὰ τὸ μᾶλλον ἀκούοντα* (*ἀναπνέοντα* ci. Pauw) *θέλοντες σημῆναι αἶγα ζωγραφοῦσι· αὕτη γὰρ ἀναπνεῖ διὰ τῶν ῥωθώνων καὶ τῶν ὤτων.* [Horapollinem de caprae significatione errare et quae ad confirmandam suam opinionem addat (*αὕτη γὰρ* ....) ab Aegyptiis aliena esse docent me qui harum rerum sunt periti. Ceterum saepissime illum ad Aegyptiaca signa interpretanda Graecorum libellis usum esse nemini non patet.] — Aliquantum ab his recedit Oppianus de venat. II 338/342: *Αἰγάγροις δέ τίς ἐστι δι' αὐτῶν αὐλὸς ὀδόντων Λεπταλέης πνοιῆς, κεράων μέσον, ἔνθεν ἔπειτα Αὐτὴν ἐς κραδίην καὶ πνεύμονα ἰθὺς ἱκάνει. Εἰ δέ τις αἰγάγρου κηρὸν κέρασιν περιχεύῃ, Ζωῆς ἐξέκλεισεν ὁδοὺς πνοιῆς τε διαύλους.*

γροις, quo nomine praeter ibices et capras efferatas etiam rupicapras antiqui comprehendunt[1]), verba facit, non solum diligentissime *αἰγάγρους* et *αἶγας* inter se distinguit (v. 326/7), sed etiam aurium mentionem non movet.

Idem contra Schulzii quoque sectatores valet. Vides omnes de capris tantum dicere: ergone in capris tantum tubam Eustachianam antiqui viderunt? Longe aliter Galenus medicos ea, quae vel uno in animali per sectionem invenerint, in omnibus inveniri improvide concludere queritur (de foet. form. I = IV 653 K.). Praeterea generalioribus verbis usus Aristoteles recte omnibus animalibus tubam Eustachii inesse non nescire videtur. Iam quod opprobrio ei dant locum quem supra attuli hist. anim. 492 a 19, non intellexerunt in Alcmaeonem ibi Aristotelem impugnare[2]), quo de quinque versibus ante huius fragmenti verbis locutus erat. Neminem autem exstiturum esse confido, cui tanta Aristoteles non solum impudentia, sed etiam imprudentia fuisse videatur, ut contra Alcmaeonem ipsius Alcmaeonis dicta adhiberet.

Concedendum igitur huius narratiunculae ut multarum eiusmodi causam exploratam adhuc non esse. Hoc tamen mihi constat, ex solius caprae natura repetendam eam esse. Qua de re videant doctiores.

### Fragm. V.

Theophr. l. l. (Dox. 506, 25): *ὀσφραίνεσθαι δὲ ῥισὶν ἅμα τῷ ἀναπνεῖν ἀνάγοντα τὸ πνεῦμα πρὸς τὸν ἐγκέφαλον.*

Aëtius IV 17, 1 (Dox. 407 a b 1): *Ἀλκμαίων ἐν τῷ ἐγκεφάλῳ εἶναι τὸ ἡγεμονικόν· τούτῳ οὖν ὀσφραίνεσθαι ἕλκοντι διὰ τῶν ἀναπνοῶν τὰς ὀσμάς.* —

Zellerus quae ad Aristotelis de sensu II 12, 445 a 16 (ὃ *δὲ λέγουσί τινες τῶν Πυθαγορείων, οὐκ ἔστιν εὔλογον· τρέφεσθαι γάρ φασιν ἔνια ζῷα ταῖς ὀσμαῖς*) ab Alexandro Aphrodisiensi annotantur (pag. 223 ed. Thurot), ut Pythagoreos ita etiam medicos quosdam nonnulla animalia odoribus

1) Keller *d. Tiere des klass. Altertums in kulturgesch. Beziehung* p. 38.
2) Philippsonus contra Platonem haec dicta esse opinatur.

tantum nutriri credidisse, ad Alcmaeonem referenda esse quamvis dubitanter significat. Sed res plane incerta. Odoribus autem quantum antiqui tribuerint alimenti docent Athenaeus pag. 46 E F (cf. 687 D), Hippocr. de alim. § 50 (IX 119, 7 L.), Menonia col. XXXVII 32 (cum nota Dielesii). Aliquantum distat Ps.-Aristotelis (mirab. auscult. 9, pag. 831 a 19) narratio haec: *αἱ ἐν Κεφαλληνίᾳ αἶγες οὐ πίνουσιν* (!), *ὡς ἔοικεν, ὥσπερ τὰ ἄλλα τετράποδα, καθ' ἡμέραν δὲ πρὸς τὸ πέλαγος ἀντία τὰ πρόσωπα ποιήσασαι χάσκουσιν εἰσδεχόμεναι τὰ πνεύματα*; quae eadem ex Alexandri Myndii ineuntis primi ante Christum saeculi medici ac philosophi libris sese hausisse Aelianus (hist. anim. V 27; cf. III 32) profitetur.

**Fragm. VI.**

Theophr. l. l. 25 (Dox. 506, 26): *γλώττῃ δὲ τοὺς χυμοὺς κρίνειν· χλιαρὰν γὰρ οὖσαν καὶ μαλακὴν τήκειν τῇ θερμότητι, δέχεσθαι δὲ καὶ διαδιδόναι διὰ τὴν μανότητα τῆς ἁπαλότητος* (*μανότητα καὶ ἁπαλότητα* verisimiliter coni. Wimmerus).

Plut. Epit. IV 18 (Dox. 407 a 12): *Ἀλκμαίων τῷ ὑγρῷ καὶ τῷ χλιαρῷ τῷ ἐν τῇ γλώττῃ πρὸς τῇ μαλακότητι διακρίνεσθαι τοὺς χυμούς.* —

Primum linguae caliditate ciborum suci diluuntur; iam crebris linguae poris (*τῇ μαλακότητι* vel *μανότητι* vel *ἁπαλότητι*) quasi spongia[1]) excipiuntur et ad cerebrum usque perducuntur.

**Fragm. VII.**

Theophr. l. l. 26 (Dox. 506, 28): *ὀφθαλμοὺς δὲ ὁρᾶν διὰ τοῦ πέριξ ὕδατος· ὅτι δ' ἔχει πῦρ δῆλον εἶναι· πληγέντος γὰρ ἐκλάμπειν. ὁρᾶν δὲ τῷ στίλβοντι καὶ τῷ διαφανεῖ, ὅταν ἀντιφαίνῃ, καὶ ὅσῳ ἂν καθαρώτερον ᾖ, μᾶλλον.*

Stob. Ecl. Phys. I 52 (Dox. 404 b 23): *Ἀλκμαίων κατὰ τὴν τοῦ διαφανοῦς ἀντίληψιν* (scil. *τὴν ὅρασιν γίγνεσθαι*).

*ἀντίληψιν*] *ἀντίλαμψιν* 'non necessario, at veri similiter' corrigendum putat Dielesius (proll. 223) collato Theophrasti *ἀντιφαίνει*. Quem sequitur Tanneryus (p. l'hist. d. l. science hell. pag. 204): *la vue a lieu par le contre-effet du diaphane.* Equidem in *ἀντίληψιν* acquiesco.

1) Cf. Diogenem Apolloniatam *καθάπερ ἀπὸ σπογγιᾶς* Dox. 407 a 20.

Chalcidius in Plat. Timaeum pag. 279 ed. Wrobel: ........ Quare faciendum, ut ad certam explorationem Platonici dogmatis commentum vetus advocetur medicorum et item physicorum, inlustrium sane virorum, qui ad comprehendendam sanae naturae sollertiam artus humani corporis facta membrorum exsectione rimati sunt, quod existimabant ita demum se suspicionibus atque opinionibus certiores futuros esse, si tam rationi visus quam visui ratio concineret. Demonstranda igitur oculi natura est, de qua cum plerique alii tum Alcmaeo Crotoniensis, in physicis exercitatus quique primus exsectionem aggredi ausus est, et Callisthenes, Aristotelis auditor, et Herophilus multa et praeclara in lucem protulerunt: duas esse angustas semitas, quae a cerebri sede, in qua est sita potestas animae summa ac principalis, ad oculorum cavernas meent naturalem spiritum continentes. Quae cum ex uno initio eademque radice progressae aliquantisper coniunctae sint in frontis intimis, separatae bivii specie perveniunt ad oculorum concavas sedes, qua superciliorum obliqui tramites porriguntur, sinuataeque illic tunicarum gremio naturalem humorem recipiente globos complent munitos tegmine palpebrarum, ex quo appellantur orbes. Porro quod ex una sede progrediantur luciferae semitae, docet quidem sectio principaliter; nihilo minus tamen intelligitur ex eo quoque, quod uterque oculus moveatur una nec alter sine altero moveri queat. Oculi porro ipsius continentiam in quattuor membranis seu tunicis notaverunt disparili soliditate. Quarum differentiam proprietatemque si quis persequi velit, maiorem proposita materia suscipiet laborem. —

Dolendum est apud Chalcidium Alcmaeonis doctrinam cum Callisthenis atque Herophili ita confundi, ut vix initium 'duas esse angustas semitas ........ meent' Crotoniatae reddere possimus. Corporis Hippocratici duo sunt loci, quibus accuratius de oculi structura agitur, scil. de loc. in hom. 2 (VI 278 L.) et de princip. 17 (VIII 604 L.), quorum auctores Alcmaeonis librum exscripsisse verisimiliter coniecit Dielesius Herm. XXVIII 421, 2 (cf. eiusdem dissertationem de Gorgia et Empedocle actis academiae Berolinensis 1884 pag. 355 insertam). Uterque nil de coniunctione nervorum ocul ariorum;

tunicas autem discimus illic multas[1]), hic tres oculo praepositas esse, neque Empedocli Alcmaeonis his in rebus sectatori ignotum hoc fuisse docet eiusdem v. 323 St.

Iam Philippsonus (l. l. pag. 187) 'de visu' inquit 'eadem docuit quae Aristoteles; namque fieri per diaphanum'. Similiter Sanderus quamvis dubitanter in comparationem vocat Arii Didymi frg. 17 (Dox. 456, 13): *Ἀριστοτέλης ὁρᾶν ἡμᾶς κατὰ κίνησιν τοῦ κατ' ἐνέργειαν διαφανοῦς. διαφανὲς δὲ οὐ μόνον εἶναι τὸν ἀέρα, ἀλλὰ καὶ τὸ ὕδωρ καί τινα τῶν συνισταμένων ποθέν, οἷον ὕαλον καὶ κρύσταλλον καί τινας τῶν λαμπρῶν λίθων.* Videntur igitur illi voces *τοῦ διαφανοῦς* obiectivum q. v. genitivum esse rati ita interpretari Stobaei verba, ut visus fiat actu perspicui quod extra oculos est. Philippsonum certe de aqua ocularia hic non cogitare docet quae voces quas modo attuli sequitur in libello eius sententiola: 'cum Alcmaeone consentit Aristoteles quoque[2]) oculos per aquam cernere' et quem confert Aristotelis locus d. an. II 7 pag. 418 a 29 sqq.: *τὸ γὰρ ὁρατὸν ἔστι χρῶμα ..... πᾶν δὲ χρῶμα κινητικόν ἐστι τοῦ κατ' ἐνέργειαν διαφανοῦς .... διόπερ πᾶν τὸ ἑκάστου χρῶμα ἐν φωτὶ ὁρατόν .... ἔστι δή τι διαφανές* (scil. *τὸ φῶς*).[3]) Nec de Sanderi sententia dubitari potest collatis eis quae sequuntur Arii verbis ibid. 456, 16: *ἀκούειν δὲ κατ' ἐνέργειαν τοῦ μεταξὺ διηχοῦς*; 18: *ὀσφραίνεσθαι τοῦ μεταξὺ σώματος ἀναπιμπλαμένου τῶν ὀσφραντῶν*; cf. ibid. vv. 20 et 21. — Quodsi recte Philippsonum Sanderumque intelligo, facere non possum, quin lapsos eos esse dicam. Neque enim veri videtur simile, vocem *διαφανές* aliud sonare apud Stobaeum, aliud apud Theophrastum auctorem eius, qui sine dubio ipsius oculi humorem (*τὸ πέριξ ὕδωρ*) ea significare vult; neque enim

1) Cf. h. diss. pag. 49 not. 1.

2) Volebat dicere: 'consentit Arist. hac quoque de re' etc.

3) Nam vocem *διαφανές* de solo aere (vel aqua etc.) externo intelligendum esse et aquae oculis inclusae memoriam plane hic abesse ipse Aristoteles luculentissime prodit his (419 a 11): *ἡ δ' ἐντελέχεια τοῦ διαφανοῦς φῶς ἐστίν. σημεῖον δὲ τούτου φανερόν· ἐὰν γάρ τις θῇ τὸ ἔχον χρῶμα ἐπ' αὐτὴν τὴν ὄψιν οὐκ ὄψεται· ἀλλὰ τὸ μὲν χρῶμα κινεῖ τὸ διαφανὲς οἷον τὸν ἀέρα, ὑπὸ τούτου δὲ συνεχοῦς ὄντος κινεῖται τὸ αἰσθητήριον.*

aliud est *τὸ στίλβον* nisi *τὸ πῦρ* nec *τὸ διαφανὲς* nisi *τὸ ὕδωρ*[1]), quae in ipsis oculis insunt atque eis quae percipiuntur rebus offulgent. Itaque aut egregie fallor aut illud ipsum quod caput et summa est doctrinae Aristoteleae, scil. visum fieri non posse nisi intercedente perlucido quodam inter sensoria ac res percipiendas, ab Alcmaeone plane alienum est. Ignis autem mentio apud Stobaeum omissa est sive librariorum negligentia sive ipsius Stobaei, ad quem eo facilius hanc culpam transferri posse puto, cum in ineunte narratione neglegentius ignis mentionem Theophrastus moverit: *ὀφθαλμοὺς δὲ ὁρᾶν διὰ τοῦ πέριξ ὕδατος· ὅτι δ' ἔχει πῦρ κτλ.* Nec verum esse in solo *διαφανεῖ* Alcmaeonem visum posuisse inde quoque apparet, quod haec opinio Clidemi *ἴδιον* fuisse dicitur Dox. 510, 4.[1]) Immo in igni praecipue videndi vim niti Crotoniatam putasse elucet, utpote qui aquam circumdare ipsum oculum[2]) dicat: *ὀφθαλμοὺς δὲ ὁρᾶν διὰ τοῦ πέριξ ὕδατος.* Ab hoc repetendum esse pro certo habeo, quod omnes fere ante Aristotelem philosophi ignem in oculis inesse putaverunt; neque enim aliam huius opinionis causam afferre solebant nisi quam Alcmaeonis fuisse hic videmus: *ποιοῦσι δὲ πάντες τὴν ὄψιν πυρὸς διὰ τὸ πάθους τινὸς ἀγνοεῖν τὴν αἰτίαν· θλιβομένου γὰρ καὶ κινουμένου τοῦ ὀφθαλμοῦ φαίνεται πῦρ ἐκλάμπειν* (Arist. d. sens. 2 pag. 437 a 23).

Ignem ab aqua circumdatum medio in oculo, h. e. in pupula, eodem quo Alcmaeo modo ponit Empedocles, quem sua de oculi structura placita ex Alcmaeonis libro hausisse clarissime ostendit Dielesius (in dissert. de Gorgia et Empedocle l. l.).

Vides Alcmaeonem, qualis a Theophrasto describitur, magis

1) Ab Aristotele quoque saepius oculi humorem appellari *τὸ διαφανὲς* inter omnes constat (cf. d. sensu 438 b 6, 438 a 14; d. gen. an. 780 a 3). Haud secus Ps.-Hippocr. de princ. 17 (VIII 606, 3 L.): *πολλὰ δὲ ταῦτ' ἐστὶ τὰ δέρματα πρὸ τοῦ ὁρέοντος διαφανέα ὁκοῖόν περ αὐτό ἐστι· τούτῳ γὰρ τῷ διαφανεῖ ἀνταυγεῖ* (scil. oculus) *τὸ φῶς καὶ τὰ λαμπρὰ πάντα.* Cf. Dox. 510, 4 *Κλείδημος αἰσθάνεσθαί φησι τοὺς ὀφθαλμοὺς μόνον ὅτι διαφανεῖς.*

2) h. e. pupulam. Nam haec est *βέλτιστον ὀφθαλμοῦ καὶ ᾧ ὁρᾷ* Plato Alcib. prior p. 133 A.

oculi structuram cum experimentis tum anatomia cognitam exponere, quam quo modo visus fiat evolvere. Nam quod dicit *τῷ στίλβοντι καὶ τῷ διαφανεῖ*, nonnisi naturam ostendit eorum quae oculus continet elementorum, sed quid valeant ad videndum celat. Fortasse hunc quoque intelligit Theophrastus dicens *τιθέασι δὲ καὶ τὴν ὄψιν αὐτὴν οἱ πολλοὶ πυρός, ⟨ὡς⟩ τούτου τὰς χρόας μετεχούσας μᾶλλον* (Dox. 509, 32). Hoc tamen certum, esse eum e numero *τῶν φασκόντων προσπίπτειν τὴν ὄψιν*, non *τῶν φασκόντων φέρεσθαι πρὸς αὐτὴν ἀπὸ τῶν ὁρατῶν* (cf. vocem *ἀντιφαίνει*).

**Fragm. VIII.**

Theophr. l. l. 26 (Dox. 507, 3): *ἁπάσας δὲ τὰς αἰσθήσεις συνηρτῆσθαί πως πρὸς τὸν ἐγκέφαλον, διὸ καὶ πηροῦσθαι κινουμένου καὶ μεταλλάττοντος τὴν χώραν· ἐπιλαμβάνειν γὰρ τοὺς πόρους, δι' ὧν αἱ αἰσθήσεις. περὶ δὲ ἁφῆς οὐκ εἴρηκεν, οὔτε πῶς οὔτε τίνι γίνεται. Ἀλκμαίων μὲν οὖν ἐπὶ τοσοῦτον ἀφώρικεν.* —

Qui ad fragm. V annotatus est Aëtii locus animae sedem cerebrum existimasse Alcmaeonem luculentissime ostendit. Idem efficitur e fragm. XVII neque dissonant Chalcidii verba (fragm. VII): '... a cerebri sede in qua est sita potestas animae summa ac principalis'. Proinde cave e verbo *ἡγεμονικόν* (fragm. V et XVII), quod Stoicorum manus aperte prodit, ipsi sententiae dubitationem admoveas. — Iam quomodo hanc ad opinionem adductus sit Alcmaeo hoc ex fragmento discimus. Postquam enim conspexit ille, per *πόρους* quos vocabat cerebrum cum sensoriis iunctum esse, ita ut omnes sensus, quorum perceptionibus tota hominum scientia nititur (fragm. II), eo continerentur, facile est collectu non aliam ob causam hoc loco animae sedem eum collocasse.[1]) Etenim *ὅπου τῶν νεύρων ἡ ἀρχή, ἐνταῦθα καὶ τὸ τῆς ψυχῆς ἡγεμονικόν. αὕτη μὲν δὴ ἡ τοῦ λόγου* (scil. cerebro animam inesse) *κυριωτάτη πρότασις ὡμολογημένη πᾶσιν ἰατροῖς καὶ φιλοσόφοις* (Galen. in Plat. et Hippocr. dogm. VIII 1 p. 650, 8 Müller).

1) Cf. Arist. parv. nat. 469 a 22: nonnulla sensoria esse in capite, *διὸ καὶ δοκεῖ τισιν αἰσθάνεσθαι τὰ ζῷα διὰ τὸν ἐγκέφαλον.*

Pori illi fistularum in speciem formati esse putandi sunt, quoniam per eos sonum ad cerebrum *διηχεῖν* atque corpuscula odorosa una cum anima per respirationem attrahi vult. Ut hi aera, ita oculorum pori aquam continere videntur. Nam veri simillime Dielesius (Herm. XXVIII pag. 421, 2) coniecit Alcmaeonem secutos esse Ps.-Hippocratem de loc. in hom. 2 (VI 278 L.) et de princ. 17 (VIII 604 L.) nec non Aristotelem d. gen. an. II 6, 744 a 8, cuius addo verba: *ἀπὸ τῆς περὶ τὸν ἐγκέφαλον ὑγρότητος ἀποκρίνεται τὸ καθαρώτατον διὰ τῶν πόρων, οἳ φαίνονται φέροντες ἀπ' αὐτῶν* (h. e. ab oculis) *πρὸς τὴν μήνιγγα τὴν περὶ τὸν ἐγκέφαλον.* Cui doctrinae minime obstat, quod oculi globum maximam partem non liquida aqua, sed humore quodam concreto completum esse sine dubio facta sectione vidit Alcmaeo. Nam aquam illam liquentem antea homine mortuo concrescere atque coagulari, id quod auctor de princ. l. l. (pag. 606, 11 L.) ponit, Alcmaeo eo facilius docere potuit, quod ipsi oculo ignem inesse putabat morte videlicet interiturum.

Cerebro moto cum pori clauduntur[1]), sensus fieri non possunt. Moveri autem cerebrum ictu maxime vel lapsu vel alia quadam corporis concussione credidisse eum arbitrabimur (cf. Praenot. Coac. 489 = Hippocr. V 696, 2 L.: *ὅσοισιν ἂν ὁ ἐγκέφαλος σεισθῇ ἢ πονέσῃ πληγεῖσιν ἢ ἄλλως, πίπτουσι παραχρῆμα, ἄφωνοι γίνονται καὶ οὔτε ὁρῶσι οὔτε ἀκούουσι καὶ τὰ πολλὰ θνήσκουσι*), quamquam quae in libro de morbo sacro (VI 388, 6 L.) leguntur *ὁκόταν ὑγρότερος τῆς φύσιος ἔῃ, ἀνάγκη κινεῖσθαι τὸν ἐγκέφαλον, κινευμένου δὲ [τοῦ πάθεος] μήτε τὴν ὄψιν ἀτρεμίζειν μήτε τὴν ἀκοήν, ἀλλ' ἄλλοτε ἄλλο ὁρᾶν καὶ ἀκούειν . . . · ὁκόσον δ' ἂν ἀτρεμέσῃ ὁ ἐγκέφαλος, τοσοῦτον καὶ φρονεῖ ὁ ἄνθρωπος* et ipsa fortasse ad Alcmaeonis placitum illustrandum advocari possunt.

Sed quid sunt *πόροι*? Sanderus, Windelbandius, alii nervos quos nos dicimus intelligunt. Ac ne ego quidem oculorum nervos Alcmaeonem vidisse contendere gravabor. Sed valde dubito, num etiam narium, aurium, linguae nervos cognitos

---

1) Ad vocem *ἐπιλαμβάνειν* cf. pag. 601, 6 *ἐπιπλάττειν καὶ καταλαμβάνειν.*

habuerit. Nam cum oculi excussi nervus facilis sit conspectu, aliorum sensuum nervi imo in capite diffinduntur, ita ut tenuissima tantum fila usque ad ipsas aures etc. pertineant, quae ab Alcmaeone, quem parum exculta anatomia usum esse credemus, conspecta esse negaverim. Opticos autem inter nervos ceterosque quantam differentiam interesse antiqui putaverint ut intelligas, iuvat afferre Galeni (d. nerv. dissect. II 832 K.) verba haec: *δόξουσί σοι θεασαμένῳ καθάπερ τινὲς ῥίζαι τὰ νεῦρα ταῦτα εἶναι τῶν ὀφθαλμῶν. διαλύεταί γε μὴν οὐκ εἰς πολλὰς ἶνας ὥσπερ τὰ ἄλλα σύμπαντα νεῦρα . . . . . ἀλλὰ καὶ μόνοις τούτοις τοῖς νεύροις πρὶν εἰς τὸν ὀφθαλμὸν ἐμφύεσθαι σαφῶς ἐνδόν ἐστιν αἰσθητός τις πόρος ὅθεν αὐτὰ καὶ πόρους ἔνιοι τῶν ἀνατομικῶν ἐκάλεσαν.*[1]) Ac minime mirum esse hunc nervum ab Alcmaeone esse conspectum, inde apparet quod ne Homerum quidem fugisse videtur, qui de Polyphemo Od. IX 390:

*πάντα δέ οἱ βλέφαρ' ἀμφὶ καὶ ὄφρυας εὗσεν ἀϋτμὴ*
*γλήνης καιομένης· σφαραγεῦντο δέ οἱ πυρὶ ῥίζαι.*

Nam *ῥίζαι* quid sint docet Galenus.

Sed quid reliquos *πόρους* intelligemus? Nervosne? Fingamus tantae amplitudinis animalia[2]) ad sectiones eum adhibuisse, ut nervos illos ad finem usque detegere posset; fingamus poros, quos animadvertere in filis non poterat, tamen opinione eum praecepisse: quid quod *διηχεῖν* vult sonum ad cerebrum? Nonne hoc placitum unam potius paullo ampliorem canaliculam capiti inesse ostendit, non fila compluria difissa ac tenuissimis foraminibus terebrata? Itaque non dubito, quin aurium nariumque pori intelligendi sint non nervi, sed meatus auditus et odoratus e fictione ad cerebrum usque producti. Nam cum et oculorum canaliculas cum cerebro cohaerere per sectiones compertum haberet et narium poros prope cerebrum, quod *ἀποφύσεις* eo usque protendit, finiri non ignoraret[3]),

1) Similiter de usu part. corp. hum. VIII 6 (III 639 K.) et XIV 3 (IV 273 K.); de loc. aff. IV 2 (VIII 219 K.); comm. in Plat. et Hippocr. dogm. saepius (V 622, 5 et 14 K.).

2) Capras secuit Hippocrates d. morb. sacro 11 (VI 382, 7 L.). De Alcmaeone cf. fragm. IV et XII.

3) Hoc antiquissimis iam constabat. Herodotus (II 86) de Aegyptiis

aurium quoque meatus eodem porrectos ad cerebrum pertinere collegisse videtur.

Unus restat scrupulus de linguae poro. Philippsonus (l. l. pag. 21) os intelligit. Multo tamen veri similius mihi videtur Alcmaeonem nullum hic porum vidisse, sed quae de ceteris sensibus invenerat, de gustu quoque praesumpsisse. Ita saepissime non verum, sed quod ab initio statuerunt, probatur medicis antiquis (Gal. V 207 K.): *πολλὰ γὰρ δὴ τοιαῦτα καὶ παρὰ τοῖς ἰατροῖς ἔστιν εὑρεῖν ἀνατομικὰ θεωρήματα μοχθηρῶς γεγραμμένα μὴ βουληθέντων αὐτῶν ἀναμεῖναι τὸ φαινόμενον ἐκ τῆς ἀνατομῆς, ἀλλ' ἐξ ἀκολουθίας μέν τινος ἐλπισάντων ὡς ἑωρακότων.* Accedit quod Aristoteles, cum facere sese non posse intelligeret, quin miram suam de corde sensuum origine opinionem in eis, quae de oculis, auribus, naribus proferret, quamvis durum in modum placitis Alcmaeonianis accomodaret[1]), Crotoniatae de gustus poris sententiam adeo sprevit, ut suam potius doctrinam e gustus ratione efficeret (de invent. c. 3 pag. 469 a 12): *δύο αἰσθήσεις φανερῶς ἐνταῦθα* (scil. *εἰς τὴν καρδίαν*) *συντεινούσας ὁρῶμεν, τήν τε γεῦσιν καὶ τὴν ἁφήν, ὥστε καὶ τὰς ἄλλας ἀναγκαῖον.* Nec secus Plato, qui certe aurium[2]), fortasse etiam narium atque oculorum poros e cerebro pendere credidit, linguae canaliculas statim *ἐπὶ τὴν καρδίαν τεταμένας* esse docet.[3])

Longe aliter Philippsonus de poris iudicat. Qui cum et Alcmaeonem et Aristotelem oculorum nervos cognitos habuisse neget, 'apud Alcmaeonem' inquit '*πόροι* oculorum ex meatibus auditoriis, olfactus et gustus (h. e. ore) comparatis evenisse

---

mortuos condientibus *σκολιῷ* inquit *σιδήρῳ διὰ τῶν μυξωτήρων ἐξάγουσι τὸν ἐγκέφαλον.* Cf. Hippocr. de princ. 16 (VIII 604, 9 L.) *προσήκει ὁ ἐγκέφαλος τῆς ῥινὸς ἐς τὰ κοῖλα.*

1) Docet enim in venas circum cerebrum positas illas quidem, e corde tamen ortas poros finiri (de gen. an. II 6 pag. 744 a 4 coll. a 10; d. part. an. II 10 pag. 656 b 17).

2) Timaeus p. 67 B *φωνὴν θῶμεν τὴν δι' ὤτων ὑπ' ἀέρος ἐγκεφάλου τε καὶ αἵματος μέχρι ψυχῆς πληγήν.* Cf. Dox. 500, 14.

3) Itaque casu factum non videtur, ut Phaedonis ille de Alcmaeone locus (cf. pag. 40) gustus mentionem omitteret, ita ut etiam priora verba Platonis manibus tractata sint.

videntur'. Sed conexa esse sensoria cum cerebro in oculis facillime cognosci potuit, et quam non sit mirum πόρους appellatos esse nervos opticos pag. 52 ostendi, quo nomine uti ne Herophilum quidem, qui primus quae esset nervorum natura perspexit ceterisque νεῦρα nomen dedit, piguisse Galenus auctor est (de usu part. X 12 = III 813 K.; de sympt. caus. I 2 = VII 89 K.). —

Iam quomodo μὴ τῷ ὁμοίῳ (cf. frg. II) sensuum perceptiones fieri ille putaverit si rogamus, mirum in modum respondet Tanneryus (pour l'hist. d. l. science hell. pag. 213): *on ne comprendrait guère comment le disciple d'Aristote range Alcméon parmi ceux dont l'opinion est opposée à celle d'Empédocle...., si l'on ne s'apercevait pas qu'il s'attache exclusivement à la distinction établie par Alcméon entre la sensation et l'intelligence.* Quae quid hanc ad quaestionem sibi velint parum intelligo.

Atqui non inexplicabilis res mihi videtur cogitanti contraria omnia in corpore humano inesse Crotoniatam censuisse (fragm. XXII), ita ut si dulce quid ederis atque aucta sit dulcis in corpore multitudo, amari copia quasi laborare putanda sit contrariorum aequitate turbata. Eadem Anaxagoram docuisse narrat Theophrastus (Dox. 507, 16): τῷ μὲν θερμῷ τὸ ψυχρόν, τῷ δ' ἁλμυρῷ τὸ πότιμον, τῷ δ' ὀξεῖ τὸ γλυκὺ (ἡμᾶς γνωρίζειν) κατὰ τὴν ἔλλειψιν τὴν ἑκάστου. πάντα γὰρ ἐνυπάρχειν †ἐστὶν (πάντῃ ci. Usener) ἐν ἡμῖν. Adde Arist. Eth. Nic. VII 15 pag. 1154 b 7. In ceteros sensus hoc non quadrare ne moneas, lege Theophrasti haec (Dox. 499, 11): καθόλου μὲν οὖν περὶ αἰσθήσεως αὗται παραδέδονται δόξαι (scil. τῷ ὁμοίῳ aut μὴ τῷ ὁμοίῳ sensus fieri)· περὶ ἑκάστης δὲ τῶν κατὰ μέρος οἱ μὲν ἄλλοι σχεδὸν ἀπολείπουσιν, Ἐμπεδοκλῆς δὲ πειρᾶται καὶ ταύτας ἀνάγειν εἰς τὴν ὁμοιότητα.

Extremum est, ut quam inter cerebrum et sensoria rationem intercedere putaverit quaeramus. Oculorum auriumque indoles talis est, ut sonus in ipso auris cavo, visus in ipso oculo oriatur. Itaque cerebri videtur efficere, ut ea quae vel oculus vidit vel aures audierunt accuratius distinguamus. Similiter auctor de loc. in hom. 2 (V 278 L.), quem Alcmaeonis librum exscripsisse supra vidimus: πρῶτον διατέτρηται ᾗ εἰσακούομεν·

*τὰ μὲν γὰρ περὶ τὰ ὦτα πέριξ κενὰ* (v. p. 43) *οὐκ εἰσακούει ἄλλο ἢ ψόφον καὶ ἰαχήν· ὅτι δ' ἂν διὰ τῆς μήνιγγος ἐς τὸν ἐγκέφαλον εἰσέλθῃ, τοῦτο διαφραδέως ἀκούεται ταύτῃ.* Longe alia narium et linguae natura, cum et nares nil sint nisi odorum transitus et lingua ad diluendos tantum atque extrahendos sucos valeat. Quid? Aliterne de aliis sensibus Alcmaeo iudicavit? Quod cogitari posse Clidemi docet exemplum (Dox. 510, 9). Tamen nescio an rectius hanc quaestionem omnino non iniisse Alcmaeonem putemus.

**Fragm. IX.**

Arist. d. an. I 2, 405 a 29: *παραπλησίως δὲ τούτοις* (scil. eis qui *κινητικόν τι* animam esse putabant) *καὶ Ἀλκμαίων ἔοικεν ὑπολαβεῖν περὶ ψυχῆς· φησὶ γὰρ αὐτὴν ἀθάνατον εἶναι διὰ τὸ ἐοικέναι τοῖς ἀθανάτοις· τοῦτο δ' ὑπάρχειν αὐτῇ ὡς ἀεὶ κινουμένῃ· κινεῖσθαι γὰρ καὶ τὰ θεῖα πάντα συνεχῶς ἀεί, σελήνην, ἥλιον, τοὺς ἀστέρας καὶ τὸν οὐρανὸν ὅλον.*

Simplicius ad l. l. (pag. 32, 3 Hayduck): *ὁ Ἀλκμαίων Κροτωνιάτης . . . . ἔοικε . . ἄριστα φιλοσοφεῖν ὡς ἐκ τῶν νῦν λεγομένων τεκμαίρεσθαι· ἀθάνατον γὰρ λέγει τὴν ψυχὴν ὡς ἐοικυῖαν τοῖς ἀθανάτοις.*

Philoponus ad l. l. (pag. 88, 11 ed. Hayduck): *καὶ οὗτος Πυθαγόρειος ὢν εἰς τὸ κινητικώτατον τῆς ψυχῆς ἀποβλέψας ἐκ τοῦ οὐρανίου σώματος αὐτὴν ἔλεγεν εἶναι καὶ διὰ τοῦτο ἀθάνατον — ἀεικίνητον γὰρ ὥσπερ κἀκεῖνα — αὐτόθεν συλλαμβάνων, ὅτι τὰ οὐράνια ἀθάνατα. ὅθεν οὖν οὗτος τὸ γνωστικὸν ἐδίδου τῇ ψυχῇ, εἰ μὲν καὶ ἄλλας αἰτίας ἀπεδίδου τῆς γνώσεως αὐτῆς, οὐκ ἐμὸν λέγειν. οὔτε γὰρ τὰ συγγράμματα τῶν ἀνδρῶν τούτων πρόχειρα ἡμῖν ἐστιν οὔτε ὁ Ἀριστοτέλης πλέον τι τούτων ἱστόρησε.*

Sophonias in paraphrasi l. l. (pag. 14, 31 Hayduck) ad verbum Aristotelica transscripsit nisi quod post *Ἀλκμαίων* inseruit *ὁ Κροτωνιάτης Πυθαγορικὸς ὤν.*

Themistius in paraphrasi l. l. (II 24 Spengel): *τούτοις δὲ παραπλησίως καὶ Ἀλκμαίων ὁ Κροτωνιάτης φυσικός· φησὶ γὰρ αὐτὴν ἀθάνατον εἶναι διὰ τὸ μάλιστα ἐοικέναι τοῖς ἀθανάτοις ἀεὶ κινουμένην· κινεῖσθαι γὰρ καὶ τὰ ἄλλα πάντα συνεχῶς, ἥλιον, σελήνην, τοὺς ἀστέρας, τὸν οὐρανόν.*

Laërt. Diog. VIII 83: *ἔφη δὲ καὶ τὴν ψυχὴν ἀθάνατον καὶ κινεῖσθαι αὐτὴν συνεχῶς ὡς τὸν ἥλιον.*

Cicero d. nat. deor. I 11: Crotoniates autem Alcmaeo, qui soli et lunae reliquisque sideribus omnibus animoque praeterea divinitatem dedit, non sensit sese mortalibus rebus immortalitatem dare.

Clemens Alexandr. Protrept. V 66: *ὁ γάρτοι Κροτωνιάτης Ἀλκμαίων θεοὺς ᾤετο τοὺς ἀστέρας εἶναι ἐμψύχους ὄντας.*

Boëthus apud Eusebium praepar. ev. XI 28: *ὁ Κροτωνιάτης φυσικὸς* (cf. Themistium) *εἶπεν ἀθάνατον αὐτὴν* (scil. *τὴν ψυχὴν*) *οὖσαν καὶ πᾶσαν ἠρεμίαν φύσει φεύγειν ὥσπερ τὰ θεῖα τῶν σωμάτων.* —

Aristot. de an. I 2, 404 a 20: *ἐπὶ ταὐτὸ δὲ φέρονται καὶ ὅσοι λέγουσι τὴν ψυχὴν τὸ αὑτὸ κινοῦν· ἐοίκασι γὰρ οὗτοι πάντες ὑπειληφέναι τὴν κίνησιν οἰκειότατον εἶναι τῇ ψυχῇ καὶ τὰ μὲν ἄλλα πάντα κινεῖσθαι διὰ τὴν ψυχήν, ταύτην δ' ὑφ' ἑαυτῆς, διὰ τὸ μηδὲν ὁρᾶν κινοῦν ὃ μὴ καὶ αὐτὸ κινεῖται.*

Hunc locum ad Alcmaeonem pertinere contendunt

Philoponus ad l. l. (pag. 71, 6 Hayduck): *αἰνίττεται εἰς Πλάτωνα καὶ Ξενοκράτην καὶ Ἀλκμαίωνα· καὶ οὗτοι οὖν, φησίν, οἰκειότατον ὑπειλήφασι τῇ ψυχῇ εἶναι τὸ κινεῖν, ἀλλ' ἐπειδὴ ἐνόμισαν μὴ δύνασθαι κινεῖν μὴ κινουμένην, αὐτοκίνητον εἰρήκασι τὴν ψυχήν.*

et qui Philoponum exscripsisse videtur

Sophonias (11, 25 Hayduck): *ἐπὶ ταὐτὸ δὲ φέρονται καὶ ὅσοι λέγουσι τὴν ψυχὴν τὸ αὑτὸ κινοῦν εἴτ' οὖν αὐτοκίνητον. εἶεν δ' ἂν οἱ περὶ Πλάτωνα καὶ Ξενοκράτην καὶ Ἀλκμαίωνα καὶ ἕτεροι τῶν ἐκ τοῦ Σωκρατικοῦ διδασκαλείου. ἐοίκασι γὰρ* et quae sequuntur paene ad verbum ex Aristotele deprompta. —

Stobaeus Ecl. phys. I 52 (Dox. 386 b 4) ex Aëtio: *Ἀλκμαίων φύσιν αὐτοκίνητον κατ' ἀΐδιον κίνησιν καὶ διὰ τοῦτο ἀθάνατον αὐτὴν καὶ προσεμφερῆ τοῖς θείοις ὑπολαμβάνει.*

Theodoretus cur. graec. aff. 5 (pag. 195 Gaisf.) ex eodem Aëtio: *Ἀλκμὰν δὲ αὐτοκίνητον αὐτὴν εἴρηκεν.* —

Immortalem esse animam inde colligit Alcmaeo, quod, cum nusquam moveri desinat itaque summa similitudine cum stellis iuncta sit, eadem fere qua stellae natura esse videatur, quas ut divinas immortales esse necesse sit. Concedamus analogiam audacissimam: cur semper moveri animam dicit? Nam rationis actionibus nunquam — si modo nunquam — intermittentibus hanc ad opinionem adductum esse Crotoniatam suo iure negat Gomperzius (*Griech. Denker* p. 122), quoniam ne corpus quidem morti debitum perpetua pulsuum agitatione careat. Verum omnis vitae fontem omniumque motuum originem animam esse voluisse putandus est, ita ut in hunc quoque quadrent quae de an. I 2, 403b 28 profert Aristoteles: (*οἱ τῶν προγενεστέρων τὴν ψυχὴν φάσκοντες καὶ μάλιστα καὶ πρώτως εἶναι τὸ κινοῦν*) *οἰηθέντες τὸ μὴ κινούμενον αὐτὸ μὴ ἐνδέχεσθαι κινεῖν ἕτερον, τῶν κινουμένων τι τὴν ψυχὴν ὑπέλαβον.* Itaque anima quae corpus movet ipsa *αὐτοκίνητος* est, quippe cui movendi facultas innata quasi sit.

Cuius doctrinae vestigia latere in Phaedri Platonici p. 245 C cum iam Simplicium[1]) non fugerit, Krischeus (*Forschungen zur griech. Philos.* I 76), Hirzelius (l. l.), Susemihlius (*Genet. Entwicklung d. Plat. Philos.* I 229), Zellerus ($I^5$ 489, 2) consentiunt. Verba sunt haec: *Ψυχὴ πᾶσα ἀθάνατος. τὸ γὰρ ἀεικίνητον ἀθάνατον· τὸ δ' ἄλλο κινοῦν καὶ ὑπ' ἄλλου κινούμενον, παῦλαν ἔχον κινήσεως, παῦλαν ἔχει ζωῆς. μόνον δὴ τὸ αὐτὸ κινοῦν, ἅτε οὐκ ἀπολεῖπον ἑαυτό, οὔποτε λήγει κινούμενον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ὅσα κινεῖται, τοῦτο πηγὴ καὶ ἀρχὴ τῆς κινήσεως.* Sed Crotoniata rudem in modum per analogiam colligit: 'Anima stellis perpetuo motis similis est motu perpetuo[2]): ergo ceteris quoque qualitatibus: ergo etiam immortalitate' notione *τοῦ αὐτοκινήτου*, si fides est Aristoteli, plane neglecta; Plato hac ipsa notione nixus per syllogismos concludit:

1) Qui paullo post ea quae supra attuli verba *οὕτω δή*, inquit, *καὶ ἐν τῷ Φαίδρῳ ὡς ἀεικίνητος διὰ τὸ εἶναι αὐτοκίνητος δείκνυται ἀθάνατος.* — Similiter Legg. X 896 A sqq. ceteris rebus omnibus animam aetate antecedere Plato probat.

2) Nam Aristotelis in verbis *τοῦτο δ' ὑπάρχειν αὐτῇ κτλ.* vocem *τοῦτο* interpretor *τὸ ἐοικέναι τοῖς ἀθανάτοις*, non *τὸ ἀθάνατον εἶναι.*

τὸ ἀεικίνητον = ἀθάνατον
τὸ αὐτοκίνητον = ἀεικίνητον

τὸ αὐτοκίνητον = ἀθάνατον
iam ἡ ψυχή = τὸ αὐτοκίνητον

ergo ἡ ψυχή = ἀθάνατος.

Iam miror haud paucos inveniri qui e motu perpetuo Alcmaeonem stellarum divinitatem effecisse putent. Sic Krischeus (l. l.)[1], Tennemannus[2], Chaignetus[3], Philippsonus[4], alii. Sed si Krischeum secuti motum perpetuum immortalitatis signum Alcmaeonem putasse credimus, haud scio cur ad animae immortalitatem ostendendam stellarum similitudinem comparaverit, cum dicere ei licuerit simplicissime: 'anima perpetuo motu movetur, ergo immortalis est'. Immo contraria via ingressum, cum stellas, quas divinas credebat vulgi opinionem perantiquam secutus, semper circumferri vidisset, motum perpetuum immortalitatis signum esse eum collegisse contendo.

Restat, ut quaeramus qualem animae naturam esse Alcmaeo finxerit. Et Philoponum quidem, qui ἐκ τοῦ οὐρανίου σώματος eam ortam esse vult, temere nugari Aristotelis auctoris verba docent. Porro e contextu locorum et Aristotelici (de an. 405 a 29) et Platonici (Phaedo 96 B) apparet neque e sanguine neque ex igni neque ex aere neque e spiritu fervido eam constare, quae qui posuerunt animae materiam esse paullo ante utroque loco enumerati sunt. Immo Rhodeum (Psyche pag. 464, 1) si sequimur, materia animam prorsus carere Alcmaeo credidit. Nam cum Alcmaeo, utpote qui sensus a ratione distinguat, Empedocli a Theophrasto opponatur[5], Empedocles, quamquam et ipsum sensus et rationem discrevisse constat (Rohde l. l. 469), tamen ea re ab Alcmaeone dissentire putandus est, quod quopiam modo sensus rationem-

1) *Den Grund für die Göttlichkeit der Gestirne in ihrer ewigen Bewegung zu sehn* etc. (pag. 76).

2) *Gesch. d. Philos.* I 144.

3) *Pythagore* II 218; *Hist. d. la psychol. des Grecs* I 59.

4) l. l. pag. 72.

5) frg. 11 ὡς ἕτερον ὂν τὸ φρονεῖν καὶ αἰσθάνεσθαι καὶ οὐ, καθάπερ Ἐμπεδοκλῆς, ταὐτόν.

que idem esse statuit. Iam Aristoteles Empedoclem cogitandi actionem σωματικόν τι ὥσπερ τὸ αἰσθάνεσθαι putasse tradit (de an. III 3, 427 a 26): unde Alcmaeonem posuisse contrarium, h. e. animam ἀσώματον esse, concludi posse videtur. Tamen equidem Gomperzii (l. l. 122) a partibus sto, qui nescio qua ex materia animam constare cum e stellarum comparatione (id quod nil refert) tum inde colligit, quod nil nisi quod materiae particeps sit circulo moveri queat. Nam quamquam contra Gomperzium facere videtur Plato qui animam et corpore vacare et ἀεικίνητον esse docet, tamen valde me dubitare profiteor, num talis qualem Alcmaeonis Rohdeus fingit de anima opinio ante Platonem apud Graecos exstiterit, cum ne Anaxagorae quidem νοῦς materiae plane expers sit. Praeterea nescio an Theophrastus non solum σωματικόν τι ut sensus ita rationem, sed fere idem ea esse Empedoclem putasse inique[1]) iudicaverit (cf. Dox. 502, 7—13). Itaque vereor ne in hac Alcmaeonis atque Empedoclis comparatione de corporea tantum cogitandi natura non cogitaverit Theophrastus, sed ut revera sensus rationemque non origine solum, sed natura quoque unum idemque putantem Empedoclem Alcmaeoni opponat.

### Fragm. X.

Aristot. de an. I 2, 405 a 29: *κινεῖσθαι γὰρ καὶ τὰ θεῖα πάντα συνεχῶς ἀεί, σελήνην, ἥλιον, τοὺς ἀστέρας καὶ τὸν οὐρανὸν ὅλον.*

Laërtius Diog. VIII 83: *ἔφη δὲ καὶ τὴν ψυχὴν ἀθάνατον καὶ κινεῖσθαι αὐτὴν συνεχῶς ὡς τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην, καὶ ὅλον τὸν οὐρανὸν* [sic Zellerus, libri *σελήνην καθόλου*] *ταύτην ἔχειν ἀΐδιον φύσιν.*[2])

Aëtius Plac. II 16, 2. 3 (Dox. 345 a 19, b 22): *Ἀλκμαίων καὶ οἱ μαθηματικοὶ τοὺς πλάνητας τοῖς ἀπλανέσιν ἀπὸ δυσμῶν*

1) Ita saepius Aristoteles quoque: Rohde l. l. 469, 1 extr.; Zeller I⁵ 727, 1.

2) Sic verba continuo. Nam disiecta apud Laërtium latere scriptoris membra docet quem modo attuli locus Aristotelicus. Videntur igitur quae alterius capitis fuerunt verba extrema a librariis primum omissa, tum exeunti capiti priori in margine falso adscripta, deinde in textum recepta esse. Ut nunc leguntur, sententiarum ordinem turbant.

*ἐπ' ἀνατολὰς ἀντιφέρεσθαι.* Idem Eusebius (praep. ev. XV 4 pag. 847 A) ex Plutarcho, h. e. Aëtio.

Stobaeus Ecl. phys. I 25 (Dox. 352 b 8) ex Aëtio: *Ἀλκμαίων πλατὺν εἶναι τὸν ἥλιον.*

Stobaeus Ecl. phys. I 26 (Dox. 359 b 17) ex Aëtio: *Ἀλκμαίων Ἡράκλειτος Ἀντιφῶν κατὰ τὴν τοῦ σκαφοειδοῦς στροφὴν καὶ τὰς περικλίσεις (σελήνης ἔκλειψιν γίγνεσθαι).* —

Vix est quod moneam hanc stellarum aeternitatem nonnisi ad futuri temporis infinitatem spectare. *Γενόμενον* enim (Aristotelis verbis utor de caelo I 10, 279 b 12) *ἅπαντες εἶναί φασι τὸν οὐρανόν, ἀλλὰ γενόμενον οἱ μὲν ἀΐδιον, οἱ δὲ φθαρτόν.* Iam cum aeternitatis imaginem circulum ei visum esse e frg. XI concludi possit, in orbem stellas circumferri docuisse eum constat. Itaque nova exsistit quaestio quid in medio hoc circulo stare dixerit. Ac Zellerus quidem circa ignem medium sidera ferri putat. Sed qui Pythagoreorum de stellis doctrinam Alcmaeonem professum esse credit, meminerit oportet, antiquissimis illum Pythagoreis aequalem fuisse. Hi autem ipsi aut Philolai de mundo doctrinam non iam professi sunt, ergo ne Alcmaeo quidem; aut professi sunt Alcmaeonique persuaserunt: iam quidnam causae fuit, cur a primario illorum placito[1]) recedens cum propria solem vel lunam luce illustrari ille vellet tum sphaerarum doctrina plane neglecta lunae defectus causam non inde peteret, quod obscuraretur a sidere quodam praetereunte? Itaque equidem veri longe similius esse dixerim Alcmaeonem certe non ignem, verum terram in medio mundo posuisse. Quam circa stellas circulos ducere voluit, ita tamen ut planetae contraria via ceteris obviam irent. Cuius doctrinae causa inde petenda esse mihi videtur, quod cum primus quantum scimus planetas interdum retro ferri solere animadvertisset, semper ita fieri improvide more antiquorum contendit.

Solis formam planam esse, lunam scaphae imaginem imitari docuisse fertur. Quod iure mireris. Neque enim ullus quantum video philosophus aliam soli, aliam lunae formam tribuit. Tamen de sole eandem orbis speciem semper prae-

1) Zeller I[5] 420, 1 fin.; 425, 2.

bente aliter iudicasse potest atque de luna varias formas exprimente.[1]) At de solis defectibus quid putabimus? Aliterne eos fieri existimavit atque lunae? An omnino neglexit? Zellerus quae Stobaeus tradit ita coniungit, ut utramque stellam non ita cavam atque scaphae similem[2]) Alcmaeonem finxisse dicat. Verum diligentius distinxisse antiquos inter stellarum formas *πλατεῖαν* et *σκαφοειδῆ* existimaverim (cf. Aëtius Plac. II 22), quam ut in unum eas confundere liceat.

### Fragm. XI.

Aristot. problem. XVII 3, 916 a 33: *τοὺς ἀνθρώπους φησὶν Ἀλκμαίων διὰ τοῦτο ἀπόλλυσθαι, ὅτι οὐ δύνανται τὴν ἀρχὴν τῷ τέλει προσάψαι, κομψῶς εἰρηκὼς εἴ τις ὡς τύπῳ φράζοντος αὐτοῦ ἀποδέχοιτο καὶ μὴ διακριβοῦν ἐθέλοι τὸ λεχθέν.*

Michael Apostolius Proverb. Cent. XVIII 50 (Corpus paroemiogr. ed. Leutsch et Schneidewin II 674): *τὴν ἀρχὴν οὐ δυνήσῃ τῷ τέλει προσάψαι] Ἀλκμαίων τοῦτ' ἔφη τὸ τοὺς ἀνθρώπους ἀπόλλυσθαι μὴ δυναμένους τὴν ἀρχὴν τῆς ζωῆς τῷ τέλει προσάψαι· κύκλος γὰρ ἂν ἦν.* —

Meinersii (*Gesch. d. Wissensch. in Griechenland u. Rom* I 737) falsam interpretationem: *Die Menschen rennen nur deswegen ins Verderben, weil sie bei ihren Handlungen nicht stets den Anfang mit dem Ausgang verbinden oder nicht immer das Ende ihrer Unternehmungen überlegen,* quam Philippsonum iam redarguisse invenio (l. l. pag. 185), miror a Caro[3]) probari. Immo dicit Crotoniata hominis corpus interire propterea necesse esse, quod fini initium iungere, h. e. circulum quem anima aeterna conficiat ducere non possit. In circulum autem animam circumferri eam ob rem posuit, quod hac tantum via in aeternum aliquid moveri posse antiqui putabant (Arist. phys. VIII 9, 265 a 25: *τὴν μὲν οὖν κύκλῳ φορὰν ἐνδέχεται ἀΐδιον εἶναι, τῶν δ' ἄλλων οὔτε φορὰν οὔτ' ἄλλην οὐδεμίαν*).

---

1) Neque enim dubito quin et defectuum et modorum lunae candem causam esse putaverit.

2) *flache, nachenförmige Gestalt.*

3) *Ideen zur Gesch. d. Philosophie* (opp. IV 275). Idem Epicharmi versum, quem Cicero Tusc. I 8, 15 affert, Alcmaeoni falso tribuit.

### Fragm. XII.

Plut. Epit. V 3, 3 (Dox. 417 a 10) ex Aëtio: Ἀλκμαίων ἐγκεφάλου μέρος (τὸ σπέρμα εἶναι).

Censorinus d. d. nat. V 2, 3: Sed hanc opinionem (scil. e medullis semen profluere) nonnulli refellunt, ut Anaxagoras, Democritus et Alcmaeo Crotoniates: hi enim post gregum contentionem non medullis modo, verum et adipe multaque carne mares exhauriri respondent. —

Vides Censorinum atque Plutarchum in diversas tendere partes. Nam si revera et medullis et adipe et carne mares exhauriri Alcmaeo contendit, ex eisdem semen profluere dicendum ei fuisse apparet. Hoc Kuehnius quoque (opusc. acad. medica I 74, 17) intellexit, qui Censorinum falso interpretatus e medullis profluere semen ab Alcmaeone positum esse dicentem eum facit. Contrario errore Gomperzius (*Griech. Denker* 120) docuisse eum narrat, *daſs die Wirbelsäule von Tieren, die nach Vollzug des Zeugungsaktes getötet werden, keineswegs eine Verminderung des die Rückenwirbel erfüllenden Markes aufweist.*

Equidem cum nec Censorinus nec Plutarchus indignus esse mihi videretur cui crederem, ita primo rem enucleandam esse censebam, ut totius corporis ex adipe, carne, medullis semen oriri Alcmaeo dixerit, maxime tamen e cerebro, utpote quod non solum simili esset semini natura (cf. Arist. d. gen. an. 747 a 17), sed etiam animae sedes, quodque ipsum medullam esse putasse videtur.[1]) Ac sane simillime auctor de generatione, qui omnibus e corporis partibus semen profluere credit (Hipp. VII 470, 1; 474, 5 L.), postquam de eis qui testium excisione infecundi redditi sunt verba fecit, ὁκόσοι δὲ inquit (472, 12) παρ' οὖς τετμημένοι εἰσίν, οὗτοι λαγνεύουσι μὲν καὶ ἀφιᾶσιν, ὀλίγον δὲ καὶ ἀσθενὲς καὶ ἄγονον· χωρεῖ γὰρ τὸ πλεῖστον τοῦ γόνου ἀπὸ τῆς κεφαλῆς (scil. e cerebro: 470, 14). Nec secus ipse Hippocrates eis quae docet de aere, loc., aq. 14 (II 60 L.) ὁ γόνος πανταχόθεν ἔρχεται τοῦ σώματος paullo post (c. 22 = 78, 10 L.) addit εἰσὶ γὰρ παρὰ τὰ ὦτα φλέβες ἃς ἐάν

1) Nam πολλοῖς ὁ ἐγκέφαλος δοκεῖ μυελὸς εἶναι διὰ τὸ συνεχῆ τὸν ῥαχίτην αὐτῷ ὁρᾶν μυελόν Arist. d. part. anim. II 7, 652 a 24. Cf. Galenum III 671 K. et Athenaeum pag. 65 F (cum nota Casauboni).

τις ἐπιτάμῃ ἄγονοι γίγνονται οἱ ἐπιτμηθέντες; ac mire consentiunt quae leguntur in libello qui inscribitur Hermippus de astrologia pag. 19, 17 edd. Viereck-Kroll.

Fuit igitur cum huic meae coniecturae plauderem. At si semen omnibus de corporis partibus defluere cum Censorino putamus, liquorem esse dicamus oportet e carne, medullis etc. secretum; sin Plutarchi sequimur opinionem, non liquorem e cerebro defluentem, sed ipsius cerebri partem intelligemus. Itaque in unum confundi placita illa nequeunt.[1])

Sed utri fides habenda? Tanneryus (l. l. pag. 217) Censorini a partibus stat, sed in eo tantum nititur, quod e voce ἡγεμονικόν illam de cerebro animae sede opinionem Alcmaeoni non esse tribuendam sibi persuasit. At vide sis quae ad fragm. VIII annotavi (pag. 50). Ego contraria via ingressus ob ipsam cerebri mentionem Aëtio palmam tribuere malo.

### Fragm. XIII.

Censor. d. d. nat. 5, 4: Illud quoque ambiguam facit inter auctores opinionem, utrumne ex patris tantummodo semine partus nascatur, ut Diogenes et Hippon Stoicique scripserunt, an etiam ex matris, quod Anaxagorae et Alcmaeoni nec non Parmenidi Empedoclique et Epicuro visum est.

### Fragm. XIV.

Censor. d. d. nat. 6, 4: Ex quo parente seminis amplius fuit, eius sexum repraesentari dixit Alcmaeo. —

Tanneryus (l. l. pag. 215) hanc opinionem simillimam esse dicit Parmenideae eadem de re sententiae. Sed quam ille Parmenideam esse putat, Democriteam esse ostendit Dielesius (Doxogr. 191). Ac ne Democriti quidem placitum satis congruere docet Aristoteles d. gen. an. IV 1, 764 a 10 ὁποτέρου ἂν κρατήσῃ τὸ σπέρμα τὸ ἀπὸ τοῦ μορίου ἐλθὸν ᾧ διαφέρουσιν ἀλλήλων τὸ θῆλυ καὶ τὸ ἄρρεν (eius sexum repraesentari).

1) Similiter errat Galenus qui Hippocratem eadem de semine docere vult atque Platonem (Daremberg *le commentaire de Galien sur le Timée* p. 45).

### Fragm. XV.

Aristot. hist. anim. VII 1 p. 581 a 13: *φέρειν δὲ σπέρμα πρῶτον ἄρχεται τὸ ἄρρεν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἐν τοῖς ἔτεσι τοῖς δὶς ἑπτὰ τετελεσμένοις· ἅμα δὲ καὶ τρίχωσις τῆς ἥβης ἄρχεται, καθάπερ καὶ τὰ φυτὰ μέλλοντα σπέρμα φέρειν ἀνθεῖν πρῶτον Ἀλκμαίων φησὶν ὁ Κροτωνιάτης.* —

Aristotelis verba cum minus dilucida atque expedita sint, Scaliger annotat: 'Pubem florere dicit Alcmaeo. Nam quis non dicat plantas florere?' Atque eiusmodi translationem (*ἄνθος* pro *τρίχωσις*) a Graecorum sermone alienam non esse docet Homerus Od. XI 319: *πρίν σφωῒν ὑπὸ κροτάφοισιν ἰούλους | ἀνθῆσαι πυκάσαι τε γένυς εὐανθέϊ λάχνῃ.*[1]) Vereor tamen ne tali translatione usum esse Alcmaeonem ex Aristotelis verbis non eluceat, immo hoc tantum propriis verbis illum docuisse, ut in plantis florem futuri fructus primum indicium, ita in hominibus comas in pudendis natas pubertatis signum esse. Itaque non translationem quandam, sed totam sententiam totamque plantarum hominumque comparationem[2]) Alcmaeoni tribuendas esse contendo. Quod optime probatur alio fragmento

Schol. ad Plat. Alcib. prior pag. 121 E (dial. Plat. ed. K. Fr. Hermann VI 281): *τότε γὰρ* (scil. bis septem annis peractis) *ὁ τέλειος ἐν ἡμῖν ἀποφαίνεται λόγος, ὡς Ἀριστοτέλης καὶ Ζήνων καὶ Ἀλκμαίων ὁ Πυθαγόρειός φασιν.*

Quae hic leguntur voces *ὁ τέλειος λόγος* faciunt, ut eisdem viris tribuenda esse putem, quae ibidem paullo praecedunt:

*διὰ τὸ τὸν λόγον τότε* (scil. septem annis peractis) *ἄρχεσθαι τελειοῦσθαι.*

Sequitur igitur Alcmaeo climactericorum annorum doctrinam perantiquam, quam post Solonem (frg. XXVII Bergk, cuius vide notam) et Pythagorei (Zeller I⁵ 390) et Heraclitus (frg. 87 Byw.) Stoicique (Dox. 434 a 19) et auctor de prin-

---

1) At cave immisceas Tyrt. 10, 28 Bergk *νέοισι δὲ πάντ' ἐπέοικεν, ὄφρ' ἐρατῆς ἥβης ἄγλαον ἄνθος ἔχῃ* sim., ubi *ἥβης ἄνθος* iuventutis florem viresque integras significare patet.

2) Eiusmodi bestiarum plantarumque comparationes creberrimae apud medicos antiquos (v. Dielesium Herm. XXVIII 425).

cipiis (c. 19 = Hippocr. VIII 608 extr. L.: *ὁ αἰὼν ἔστι τοῦ ἀνθρώπου ἑπταήμερος*) et de hebdomadis (c. 5 = VIII 636 L.) nec non Coacarum prognoseon (502 = V 700, 1 et 6 L.) aliique professi sunt (Arist. Pol. *II* 16 pag. 1335 b 33).

### Frgm. XVI.

Plutarchus Epit. V 14, 1 (Dox. 424 a 30) ex Aëtio: *Ἀλκμαίων τῶν ἡμιόνων τοὺς μὲν ἄρρενας ἀγόνους παρὰ τὴν λεπτότητα τῆς θορῆς ⟨καὶ⟩ ψυχρότητα, τὰς δὲ θηλείας παρὰ τὸ μὴ ἀναχάσκειν τὰς μήτρας· οὕτω γὰρ αὐτὸς εἴρηκε.*

*⟨καὶ⟩*] sic Galenus hist. phil. 32 (Dox. 643, 9); deest in Plutarcho auctore eius; *ἢ* coni. Reiskius, Dielesius. Sed cf. Aristot. de gen. an. II 7, 747 a 1: (*γίνεται τοῖς ἀνδράσι θηλυκοῖς*) *τὸ σπέρμα λεπτὸν καὶ ψυχρόν. διόπερ εὐλόγως βασανίζεται ταῖς πείραις .... ἐν ὕδατι· ταχὺ γὰρ διαχεῖται τὸ λεπτὸν καὶ ψυχρὸν κτλ.*

*οὕτω — εἴρηκεν*] omis. Galenus; nec mirum, quoniam glossa *ἀναχάσκειν* spreta vulgari voce dixit *ἀνακύπτειν*. Ibidem desunt quae in Plutarchi codicibus leguntur *ὅ ἐστι ἀναστομοῦσθαι* (post *ἀναχάσκειν*) et *ὅ ἐστι σπέρματος* (post *θορῆς*) quae equidem facere non possum quin glossemata extrinsecus addita putem, cum servatis illis offenderemus in perverso verborum ordine et vocem *καί* glossemate addito expulsam esse pateat.

*θορῆς*] Galenus mire: *παρὰ τὴν λεπτότητα τῆς σαρκὸς κτλ.* Cf. Hipp. Aphor. 63 (IV 556, 3 sqq. L.): *παραπλησίως καὶ ἐπὶ τῶν ἀρρένων· ἢ γὰρ διὰ τὴν ἀραιότητα τοῦ σώματος τὸ πνεῦμα ἔξω φέρεται πρὸς τὸ μὴ παραπέμπειν τὸ σπέρμα ἢ διὰ τὴν ψυχρότητα οὐκ ἐκπυροῦται.*

Simillima est quae Alcmaeonem sequitur atque Empedoclis nomen prae se fert sententia Dox. 425 a 3: [*Ἐμπεδοκλῆς*] *διὰ τὴν σμικρότητα καὶ ταπεινότητα καὶ στενότητα τῆς μήτρας κατεστραμμένως προσπεφυκυίας τῇ γαστρὶ μήτε τοῦ σπέρματος εὐθυβολοῦντος εἰς αὐτήν, μήτε, εἰ καὶ φθάσειεν, αὐτῆς ἐκδεχομένης*, quam Alcmaeonis verbis continuari Karstenius (Emped. frg. 469, 241) iubet. Sed recte Dielesius (Dox. l. l.): 'obstare videtur singularis *τῆς μήτρας*'.

Iam quaerendum quid sit miri in voce *ἀναχάσκειν*. Eadem enim significatione eodemque in contextu etiam in libris Hippocraticis dicitur, quorum congessi locos hosce:

*ἀναχάσκειν*: de nat. fem. 45 (VII 390, 1. 5 L.)
de morb. mul. II 167 (VIII 344, 22 L.)

*χάσκειν*: de nat. fem. 13 (VII 330, 12. 14)
de gener. 9 (VII 482, 7)
de morb. mul. I 24 (VIII 64, 2)
„ „ „ I 25 (VIII 64, 18. 66, 1)
„ „ „ II 166 (VIII 344, 12. 14)
„ „ „ II 213 (VIII 410, 21)
„ „ „ II 241 (VIII 454, 7) etc.

Ne apud Aristotelem quidem plane deest: hist. an. VII 4, 583 b 31. — Suspicor tamen posterioribus certe temporibus[1]) hanc vocem inauditam fuisse, cui coniectura favet, quod Galenus non solum nullo quantum equidem scio loco ea voce utitur (immo dicit *ἀναστομοῦσθαι* vel *ἀνοίγνυσθαι*), sed et ipse hanc verbi significationem ignotam sibi fuisse prodit Lexic. Hippocr. pag. 594 ed. Frantzius: *χασκῶν· περισπῶν ὁ Διοσκουρίδης ἀναγιγνώσκει καί φησιν οὕτως εἰρῆσθαι τὰς μήτρας διὰ τὸ ἀνεστομῶσθαι.*

### Frgm. XVII.

Plut. Epit. V 17, 3 (Dox. 427 a 8) ex Aëtio: *Ἀλκμαίων τὴν κεφαλήν, ἐν ᾗ ἐστι τὸ ἡγεμονικόν (πρῶτον τελεσιουργεῖσθαι ἐν τῇ γαστρί).*

Censor. d. die nat. V 5: De conformatione autem partus nihilo minus definite se scire Alcmaeo confessus est, ratus neminem posse perspicere, quid primum in infante formetur. —

Rursus Plutarchus atque Censorinus dissentiunt. Ac Dielesius quidem Plutarcho credi iubet (Proll. Dox. 190, 1), quippe qui *τὸ ἡγεμονικὸν* capiti inclusum esse cum Alcmaeone consentiat; Sanderus Censorino, cum eidem verbo diffidat, quam tamen suspicionem non ad ipsam rem, sed ad verbum tantum pertinere pag. 50 diximus.

Qua in controversia haerentibus succurrit Censorinus ‘non[2]) definite se scire’ Alcmaeonem loquentem faciens, quibus e vocibus Crotoniatae opinionem sic facillime restituemus: ‘Quid primum in infante formetur, definite nemo mortalis

1) Aëtius vixisse putandus est exeunte primo, ineunte altero p. Chr. n. saeculo (Diels Dox. 101 extr.).

2) Nam hoc sibi vult illud ‘nihilo minus’; cf. Iahnii hunc ad locum annotationem.

dicere potest, cum sensibus percipi nequeat; tamen coniectura uti si licet (cf. frg. I), caput putabimus, utpote in quo cerebrum animae sedes sit.'[1]) Quae explicatio etiam e moribus Plutarchi et Censorini esse videtur. Nam Censorinum, cum de re artioribus finibus circumscripta libellum componeret, accuratius excerpere non taeduit; Plutarchus, cui omnibus de rebus loquendum erat, brevitati imprimis operam dedit itaque, ut plura vitaret verba, capita tantum rerum quam brevissime poterat recipere satis habuit. Qua de re compares velim placita ab utroque servata (Cens. 6, 6 et Aët. V 11, 1; Cens. 6, 10 et Aët. V 10, 1 etc.; cf. Dielesium Dox. 195 init.).

### Fragm. XVIII.

Aristot. d. gen. an. III 2, 752 b 22: *τοῖς μὲν γὰρ ζῳοτοκουμένοις ἐν ἄλλῳ μορίῳ γίνεται ἡ τροφή, τὸ καλούμενον γάλα, ἐν τοῖς μαστοῖς· τοῖς δ' ὄρνισι τοῦτο ποιεῖ ἡ φύσις ἐν τοῖς ᾠοῖς, τοὐναντίον μέντοι ἢ οἵ τε ἄνθρωποι οἴονται καὶ Ἀλκμαίων φησὶν ὁ Κροτωνιάτης. οὐ γὰρ τὸ λευκόν ἐστι γάλα, ἀλλὰ τὸ ὠχρόν. τοῦτο γάρ ἐστιν ἡ τροφὴ τοῖς νεοττοῖς. οἱ δ' οἴονται τὸ λευκὸν διὰ τὴν ὁμοιότητα τοῦ χρώματος.*

Philoponus ad l. l. (edit. Veneta 1526 fol. 66v): *Ἀλκμαίων δ' ὁ Κροτωνιάτης διὰ τὸ ὁρᾶν τὸ τοῦ ᾠοῦ λευκὸν ὅμοιον τῷ γάλακτι (λευκὸν δὲ τοῦτο κἀκεῖνο), εἶναι δὲ τὸ γάλα τροφήν, ἐνόμισεν ὡς καὶ ἐν τοῖς ᾠοῖς τὸ μὲν λευκὸν τροφή ἐστι. τὸ δ' ὠχρὸν τὸ τῶν νεοττῶν σῶμα. οὐκ ἔστι δέ, ὡς οὗτος ὁ Ἀλκμαίων οἴεται, τὸ λευκὸν τροφή, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ ὠχρόν.* —

Philippsonus (l. l. 186), Haeserus (l. l.), Littréus (Hippocr. I 14) perperam narrant Alcmaeonem vitellum pullis nutrimento esse putasse contra opinionem vulgi, quibus propter coloris cum lacte similitudinem ovi album pullo nutrimentum praebere placuisset. Verum apud Philoponum invenies. Falsissimam enim illi sequuntur complurium codicum lectionem *οὐ γὰρ τὸ λευκὸν εἶναι γάλα*, quam suo iure Bekkerum sprevisse ostendunt quae paullo post leguntur (754 a 7) *τὸ γὰρ ἀπὸ τῆς μητρὸς γινόμενον ἡ τροφὴ τὸ ὠχρόν ἐστιν.*

1) Idem Zellerus significare videtur his: „*Plutarchs Angabe von Censorinus eingeschränkt*" (I[5] 489, 2).

Causam huius sententiae ex albo lactis colore petitam esse Aristoteles annotat. Quae comparatio quanti sit momenti, docet qui hoc ex placito profectus est auctor de nat. pueri c. 30 (VII 536, 16 L.): *γίνεται δὲ (τὸ ὄρνεον) ἐκ τοῦ χλωροῦ τοῦ ᾠοῦ· τροφὴ δὲ καὶ αὔξησίς ἐστιν ἀπὸ τοῦ λευκοῦ τοῦ ἐν τῷ ᾠῷ ἐόντος· καὶ τοῦτ' ἤδη πᾶσιν ἐμφανὲς ἐγένετο ὁκόσοι προσέσχον τὸν νόον· ὁκόταν ἐπιλείπῃ ἡ τροφὴ τῷ νεοσσῷ ἐκ τοῦ ᾠοῦ .... κινεῖται ἰσχυρῶς ἐν τῷ ᾠῷ ζητέον τροφὴν πλείονα καὶ οἱ ὑμένες περιῤῥήγνυνται, καὶ ὁκόταν ἡ ὄρνις αἴσθηται τὸν νεοσσὸν κινηθέντα ἰσχυρῶς, κολάψασα ἐξέλεψεν. ...... οὕτω δὲ καὶ τὸ παιδίον ὁκόταν αὐξηθῇ, οὐκ ἔτι δύναται ἡ μήτηρ τροφὴν παρέχειν ἀρκέουσαν· ζητέον οὖν πλείω τροφὴν τῆς παρεούσης τὸ ἔμβρυον ἀσκαρίζον ῥήγνυσι τοὺς ὑμένας καὶ λυθὲν τοῦ δεσμοῦ χωρεῖ ὁμοῦ ἔξω.* Haud aliunde pedem profert idem 536, 5: *τούτῳ δὲ τῷ λόγῳ ὅτι ἐπιλειπούσης τῆς τροφῆς ἐξέρχεται τὸ ἔμβρυον ..... ἱστόριον τόδε ἐστίν. τὸ ὄρνεον γίνεται ἐκ τοῦ ᾠοῦ τοῦ χλωροῦ κτλ.* Vides illum utroque loco ut in fundamento niti in placito Alcmaeoniano. Nonne igitur veri est simillimum Alcmaeonem et ipsum non solum novam his in rebus perquirendis viam monstrasse, sed etiam longius ea ingressum esse, praesertim cum embryologiae praecipue operam navasse videatur? Proinde videamus, num ea quae praeterea de fetus natura docuerit, e pulli comparatione conclusisse putari possit.

### Fragm. XIX.

Plut. V 16, 3 (Dox. 426 a 28) ex Aëtio: *Ἀλκμαίων δι' ὅλου τοῦ σώματος τρέφεσθαι (τὰ ἔμβρυα)· ἀναλαμβάνειν γὰρ αὐτῷ ὥσπερ σπογγιᾷ τὰ ἀπὸ τῆς τροφῆς θρεπτικά.*

Oribasius III 156 edd. Bussemaker et Daremberg: *Ἐκ τῶν Ῥούφου. πρώτην δὲ τροφὴν προσφέρειν τοῦ μέλιτος· καὶ γὰρ ἐρεθιστικὸν τῇ γλυκύτητι καὶ ἄλλως τὸ σῶμα διακαθαίρει καὶ τὸ ἔντερον· ἔνεστι ⟨γὰρ⟩ περίττωμα τοῖς τηλικούτοις* (scil. infantulis recentibus a partu) *ἐν τῷ ἐντέρῳ ὃ χρὴ ἐξάγειν, οὐχ ὥσπερ Ἀλκμαίων οἴεται ὅτι ἐν ταῖς μήτραις ὂν τὸ παιδίον ἤσθιεν στόματι· τοῦτο γὰρ οὐδένα τρόπον δυνατόν· ἀλλ' ὅτι τῆς τροφῆς τὸ ἐνταῦθα ἧκον διεδίδου ἔσω, διεδίδου δὲ καὶ ἐς κύστιν κτλ.* —

Certissimis verbis cum plane contraria doceant Oribasius atque Plutarchus, quomodo res diiudicari possit nisi alterius sententia prorsus reiecta non video. Nam ne Oribasium in Rufi libro vocem *στόματι* e *σώματι* pessumdatam invenisse coniciamus impedit quae apud *σώματι* deesse non potuit quaeque errorem Oribasio monstrasset vox *ὅλῳ*. Plutarchi autem fidei multum certe detraheret, si Kalbfleischio amico utique esset assentiendum, qui in libello de Pseudogaleni *περὶ τοῦ πῶς ἐμψυχοῦται τὰ ἔμβρυα* (*Abh. d. Berl. Acad. 1895 Append.* pag. 24, 2) de Plutarchi capite V 16 sic indicat: *Man mufs mit der Möglichkeit rechnen, dafs Lemmata ausgefallen oder verschoben sind.* Sed ut supplendum esse in primo lemmate nomen Hippocratis, cui hanc sententiam eisdem fere verbis expressam tribuit Psellus (Cramer Anecdota Paris. I 342), facile ei largior, ita ordinem lemmatum turbatum esse negaverim. Quamquam enim e Stoicorum hac de re placitis alibi nil est traditum ac ne de Democriti et Epicuri quidem sententia ulla exstant testimonia, tamen his certe Hippocraticam illam opinionem recte tribui pro certo habeo. Aristoteles enim postquam fusius de umbilici natura verba fecit (de gen. an. II 4, 740 a 30), iam *αἱ φλέβες* inquit *οἷον ῥίζαι πρὸς τὴν ὑστέραν συνάπτουσι δι' ὧν λαμβάνει τὸ κύημα τὴν τροφήν. τούτου γὰρ χάριν ἐν ταῖς ὑστέραις μένει τὸ ζῷον, ἀλλ' οὐχ ὡς Δημόκριτός φησιν ἵνα διαπλάττηται τὰ μόρια κατὰ τὰ μόρια τῆς ἐχούσης.* Docet oppositio Democritum persuasum habuisse ad nutriendum foetum non necesse esse eum in utero diutius commorari, scil. quem ore sugere crederet, non umbilico ali. Umbilicum igitur Democritus ligamentum tantum quo matri infans esset conexus existimasse potest. Assentitur ipse (fragm. ed. Mullach pag. 209): *ὁ ὀμφαλὸς πρῶτον ἐν μήτρῃσιν, ὥς φησι Δημόκριτος, ἀγκυρηβόλιον σάλου καὶ πλάνης ἐμφύεται, πεῖσμα καὶ κλῆμα τῷ γινομένῳ καρπῷ καὶ μέλλοντι.* Itaque Democriti lemma suo loco positum est. Epicurum autem ut de totius generis humani[1]), ita de hominis quoque origine cum Abderita consensisse veri est simillimum.

1) Censor. 4, 9: Democrito vero Abderitae ex aqua limoque primum visum esse homines procreatos. Nec longe secus Epicurus: is enim credidit limo calfacto uteros nescio quos radicibus terrae cohaerentes primum

Quae cum ita sint, non video cur huius certe capitis[1]) lemmata turbata esse censeamus. Neque quidquam proficiemus, si lacuna quadam, quam inter Alcmaeonis nomen et ea quae sequuntur verba (δι' ὅλου κτλ.) intercessisse nescio an quis coniciat, et veram Crotoniatae opinionem et Pseudoalcmaeonianae q. v. sententiae (δι' ὅλου...) lemma interiisse putabimus. Ita enim Oribasiana sententia a Democriti Epicurique non recedit, ut sane mirandum esset primo potius lemmati (Δημόκριτος Ἐπίκουρος [Ἱπποκράτης]) Alcmaeonis nomen non esse additum.

Apparet igitur sublata Kalbfleischii suspicione non a librario quodam indiligenti, sed ab ipso Plutarcho sententiae illi Alcmaeonis nomen praepositum esse.

Iam cum ad ipsorum auctoritates, Rufi dico et Ps.-Plutarchi, res revocata sit, uter maiore fide dignus sit quaeramus necesse est. Atque aetates si respicimus, Rufus Traiani medicus [Suidas s. v., cf. Galenum d. atra bile 1 = V 105 K.] non ita multum Plutarchum[2]) illum personatum (Dox. proll. 66) antecessisse putandus est, ita ut fere aequales sint. Porro fontes quales Rufo suppeditaverint nescimus; Plutarchum ex Aëtio et ipso haud incertis auctoribus nixo sua hausisse Dielesius ostendit. Praeterea ut omittam Rufum non consulto, sed casu in huius doctrinae mentionem incidere quasi praetereuntem, ita ut ipsius potius sententiae quam auctoris rationem habeat: Alcmaeo cum in investiganda foetus natura ac condicione ab ovorum comparatione profectus sit, num cotyledones in ovo inesse putare potuit? Plutarchum autem secuti si pullum quoque spongiae ritu sucos circumfusos excipere conicimus, quid obstat? Praesertim cum adeo antiquitatem hoc placitum redoleat, ut vix indignum censeas quod tribuatur ei qui omnium primus hac de re scripsisse videtur. Denique Dielesius de fragmenti VI similitudine me admonet. Nam cum Diogenes Appolloniata, quem undique sua compilasse constat, ex Alcmaeonis placito

increvisse et infantibus ex se editis ingenitum lactis humorem natura ministrante praebuisse.

1) Nam de insequente rectius sine dubio Kalbfleischius dubitat.

2) Nam Aëtium mitto, qui num idem atque Plutarchus tradiderit haud scio an quis dubitet.

quae ipse de gustu profert aperte hauserit (Dox. 407 a 12. 15), veri simillimum videtur spongiae quoque imaginem (407 a 20) ex Alcmaeone depromptam esse, quem eadem in foetu describendo usum esse hoc fragmento compertum habemus.

Facere igitur non possum quin Rufum errasse iudicem. Qui unde sua hauserit si quaeris, attendas velim quam causam huius opinionis afferat. Nam cum ceteri qui cotyledonum doctrinam professi sunt, quod sciam, omnes (Epicurus, Democritus: Dox. 426 a 16; Hippo, Diogenes Apoll.: Censor. 6, 3 cf. Aristophanis in Aristotelis de animal. epitomen = Dox. 191, 1) in eo tantum niti soleant, quod infans editus ex alvo matris ubera ore apprehendere non cunctetur, conferas sis quae profert Hippocrates q. v. de princip. 6: *εἰ δέ τις ἐρωτοίη πῶς τοῦτο οἶδέ τις, ὅτι ἐν τῇ μητρὶ τὸ παιδίον ἕλκει* (scil. *τὴν τροφήν*) *καὶ μύζει, τάδε αὐτῷ ἔστιν ἀποκρίνασθαι· κόπρον ἔχον ἐν τοῖσιν ἐντέροισι γίνεται, καὶ ἀποπατεῖ ἐπειδὰν γένηται τάχιστα, καὶ οἱ ἄνθρωποι καὶ τὰ πρόβατα· καίτοι οὐκ ἂν εἶχε κόπρον, εἰ μὴ ἐν τῇσι μήτρῃσιν ἔμυζεν, οὐδ' ἂν θηλάζειν τὸν μασθὸν ἠπίστατο γεννώμενον αὐτίκα, εἰ μὴ καὶ ἐν τῇ μήτρῃ ἔμυζε.*

## Fragm. XX.

Plut. Epit. V 24, 1 (Dox. 435 a 11) ex Aëtio: *Ἀλκμαίων ἀναχωρήσει τοῦ αἵματος εἰς τὰς αἱμόρρους φλέβας ὕπνον γίγνεσθαί φησι, τὴν δ' ἐξέγερσιν διάχυσιν, τὴν δὲ παντελῆ ἀναχώρησιν θάνατον.* —

*αἱμόρρους*] *ὁμόρους* libri; *αἱμορρούσας* Galenus hist. phil. 37 (Dox. 646, 12); corr. Reiskius.

Hanc Alcmaeonis doctrinam profectam esse puto a vulgari[1]) illa inter antiquos opinione, somnum fieri per refrigerationem, quam ipsam sententiam cum e mortis somni fratris similitudine tum inde ortam esse arbitror quod homines dormientes frigore facile temptari animadverterant.[2]) Iam cum

1) Eadem profertur ab Empedocle, Parmenide (Tertull. de anima 43), Democrito (Zeller I[5] 905), Ps.-Hippocrate de flat. (v. i.), Ps.-Hipp. Epid. VI (v. i.), Aristotele, Stratone (Tertull. l. l.), Galeno (XVII B. 173. 298 K.), aliis.

2) Schol. Ps.-Hippocr. Epid. IV 4, 12 (II 117 Dietz): *οἱ καθεύδοντες περιβλημάτων δέονται, ὡς ἐψυγμένης τῆς ἐπιφανείας, οἱ δ' ἐγρηγοροῦντες οὔ.*

antiqui corporis caliditatem sanguine contineri non ignorarent, aut ipsum sanguinem aut sanguine recedente superficiem corporis refrigerari credere eos necesse erat. Quarum viarum cum illam ingrediatur Empedocles (Galenus hist. phil. 37, Dox. 646, 14) nec non auctor de flatibus (c. 14 = VI 110, 23 L.), Alcmaeo ut hanc sequatur sectionibus commotus esse ut Tanneryo (pour l'hist. d. l. science hell. 127) ita mihi quoque videtur, quippe qui accuratissime in venas ad cor coeuntes sanguinem confluere doceret. Videtur igitur, cum cadavere secto arterias sanguine in venas atque cor confluentes orbatas invenisset, iam e mortis similitudine simile quid in dormientibus quoque fieri coniecisse.

Crotoniatae sententiam amplectitur Ps.-Hippocrates Epid. VI 4, 12 (V 310 L.): *ἐμφανέως ἐγρηγορὼς θερμότερος τὰ ἔξω, τὰ ἔσω δὲ ψυχρότερος, καθεύδων τἀναντία*, quocum conferas 5, 15 (V 320, 6 L.) *τὸ αἷμα ἐν ὕπνῳ εἴσω μᾶλλον φεύγει.* Cf. Galenum ad priorem epidemiorum locum (XVII B 298, 10 K.). Adde eiusdem (de causa pulsuum III 9 = IX 133, 14 K.) haec: ....*Ἱπποκράτης καὶ ὅσοι τὸ θερμὸν ἔσω συννεύειν ἐν τοῖς ὕπνοις φασί· σχεδὸν δ' εἰσὶν ἁπάντων ἰατρῶν τε καὶ φιλοσόφων οἱ δοκιμώτατοι.* Quin Aristotelis quoque de somno placitum (de part. an. II 7, 653 a 10; de somno III pag. 457 [imprimis b 1—6] et 458) ab hac sententia pendet, quam quantopere sibi persuaserit inde elucet quod etiam veritatem a praeiudicata illa doctrina vinci patitur (hist. an. III 19, 521 a 15) *τοῖς καθεύδουσιν ἐν τοῖς ἐκτὸς μέρεσιν ἔλαττον γίνεται τὸ αἷμα, ὥστε καὶ κεντουμένων μὴ ῥεῖν ὁμοίως.*

### Fragm. XXI.

Aristot. Metaph. A 5, 986 a 22: *ἕτεροι δὲ* (scil. *τῶν Πυθαγορείων*) *τὰς ἀρχὰς δέκα λέγουσιν εἶναι τὰς κατὰ συστοιχίαν λεγομένας, πέρας καὶ ἄπειρον, περιττὸν καὶ ἄρτιον, ἓν καὶ πλῆθος, δεξιὸν καὶ ἀριστερόν, ἄρρεν καὶ θῆλυ, ἠρεμοῦν καὶ κινούμενον, εὐθὺ καὶ καμπύλον, φῶς καὶ σκότος, ἀγαθὸν καὶ κακόν, τετράγωνον καὶ ἑτερόμηκες. ὅνπερ τρόπον ἔοικε καὶ Ἀλκμαίων ὁ Κροτωνιάτης ὑπολαβεῖν, καὶ ἤτοι οὗτος παρ' ἐκείνων ἢ ἐκεῖνοι παρὰ τούτου παρέλαβον τὸν λόγον τοῦτον· καὶ γὰρ ἐγένετο τὴν ἡλικίαν Ἀλκμαίων ἐπὶ γέροντι Πυθαγόρᾳ, ἀπε-*

*φήνατο δὲ παραπλησίως τούτοις· φησὶ γὰρ εἶναι δύο τὰ πολλὰ τῶν ἀνθρωπίνων, λέγων τὰς ἐναντιότητας οὐχ ὥσπερ οὗτοι διωρισμένας, ἀλλὰ τὰς τυχούσας, οἷον λευκὸν μέλαν, ἀγαθὸν κακόν, γλυκὺ πικρόν, μέγα μικρόν* (sic A[b] Alex.; *μικρὸν μέγα* hic et 992 a 11 E Asclep.). *οὗτος μὲν οὖν ἀδιορίστως ἀπέρριψε περὶ τῶν λοιπῶν, οἱ δὲ Πυθαγόρειοι καὶ πόσαι καὶ τίνες αἱ ἐναντιώσεις ἀπεφήναντο. παρὰ μὲν οὖν τούτων ἀμφοῖν τοσοῦτον ἔστι λαβεῖν, ὅτι τἀναντία ἀρχαὶ τῶν ὄντων, τὸ δ' ὅσαι παρὰ τῶν ἑτέρων καὶ τίνες αὗταί εἰσιν.*

Alex. Aphrod. ad l. l. (vide pag. 6).

Asclepius ad l. l. (pag. 39, 21 ed. Hayduck): *ἱστορεῖ δὲ ὅτι καὶ Ἀλκμαίων ὁ Κροτωνιάτης τὸν αὐτὸν τρόπον τούτοις ἀπεφήνατο. εἰς γὰρ ἐναντίωσίν τινα ἕκαστον τῶν ὄντων ἀνάγειν ἐπειρᾶτο καὶ οὗτος ὡς ἀρχῶν οὐσῶν τῶν ἐναντιώσεων.*[1]) *καὶ ἤτοι οὗτος παρὰ τῶν Πυθαγορείων παρέλαβεν ἢ οἱ Πυθαγόρειοι παρὰ τούτου· καὶ γὰρ κατέλαβεν ὁ Ἀλκμαίων γέροντα τὸν Πυθαγόραν. ἀπεφήνατο οὖν αὐτοῖς παραπλησίως, λέγων εἶναι δύο τὰ πολλὰ τῶν ὄντων, διότι τὰ ἐν γενέσει καὶ φθορᾷ ἐξ ἐναντίων συνίσταται. ὅθεν λέγων τὰς ἐναντιότητας οὐχ ὑπετίθετο διωρισμένας, ὥσπερ καὶ οὗτοι οἱ Πυθαγόρειοι, ἀλλὰ τὰς τυχούσας ἔλεγεν, οἷον λευκὸν μέλαν, γλυκὺ πικρόν, ἀγαθὸν κακόν, μικρὸν μέγα. ἀδιορίστως οὖν ἀπεφήνατο περὶ τῶν λοιπῶν ἐναντιώσεων. οὔτε γὰρ ποσόν τι αὐτῶν εἶπεν, οὔτε ποιόν, ἀλλ' ὅτι μόνον ἐναντία· οἱ δὲ Πυθαγόρειοι καὶ πόσαι καὶ τίνες ἀπεφήναντο. κοινὸν οὖν τῶν Πυθαγορείων, οἳ ταύτης ἐγένοντο τῆς δόξης, καὶ Ἀλκμαίωνος τὸ ἐναντίας λέγειν τὰς ἀρχὰς τῶν ὄντων, πόσαι δὲ καὶ τίνες αὗται τῶν Πυθαγορείων ἴδιον. ὥστε παρ' ἀμφοτέρων τοσοῦτον ἔστι λαβεῖν, ὅτι τὰ ἐναντία ἀρχαὶ τῶν ὄντων, τὸ δ' ὅσαι καὶ ποῖαι παρὰ τῶν ἑτέρων, ὡς εἴρηται.*

Isocrates *π. ἀντιδόσεως* (or. 15) § 268: . . . . *εἰς τοὺς λόγους τῶν παλαιῶν σοφιστῶν, ὧν ὁ μὲν ἄπειρον τὸ πλῆθος ἔφησεν εἶναι τῶν ὄντων, Ἐμπεδοκλῆς δὲ τέτταρα καὶ νεῖκος*

1) Hucusque Alexandrum sequitur; iam quae ille omiserat, fortasse ex Ammonio addidit, cuius praeter Alexandri scrinia compilavit cuiusque mox occurrit mentio (40, 16 *τῷ ἡμετέρῳ φιλοσόφῳ*). Quod si verum, aliquantum augetur codicis E auctoritas et fides. Potest tamen et ipse e codicibus subiecisse.

*καὶ φιλίαν ἐν αὐτοῖς, Ἴων δ' οὐ πλείω τριῶν, Ἀλκμέων δὲ δύο μόνα κτλ.*

Diog. Laërt. VIII 83: *τὰ πλεῖστά γ' ἰατρικὰ λέγει, ὅμως δὲ καὶ φυσιολογεῖ ἐνίοτε λέγων· Δύο τὰ πολλά ἐστι τῶν ἀνθρωπίνων.*

Ps.-Clemens apud Rufinum recognit. VIII 15 (Dox. 250): Alcmaeon contrarietates (elementa principiorum esse dicit). —

In Aristotelis huius enuntiati interpretationem *παρὰ μὲν οὖν τούτων ἀμφοῖν τοσοῦτον ἔστι λαβεῖν, ὅτι τἀναντία ἀρχαὶ τῶν ὄντων* Sanderus nuper invectus monuit multo latius patere *τὰ ὄντα* quam *τὰ ἀνθρώπινα*, ita ut bonus Aristoteles quoque interdum dormitare putandus sit, nisi forte alia fuerint Alcmaeonis dicta, quae huiusmodi interpretationis copiam ei dederint.

Sed ne voluisse quidem contendere Aristotelem crediderim *τῶν ὄντων* principia Alcmaeonem putasse contraria. Vides Aristotelem hoc verbum eo tantum loco adhibere, quo non de solo Alcmaeone, sed de Pythagoreis quoque loquitur. Iam cum non id agatur, utrum *τῶν ὄντων* an *τῶν ἀνθρωπίνων* principia contrarietates sint, sed in voce *ἐναντία* sententiae vis totaque comparatio posita sit, hoc premens illud minoris hic certe momenti esse arbitratus verbis *τἀναντία ἀρχαὶ τῶν ὄντων* non addidit (molestum enim erat) *ἢ τῶν ἀνθρωπίνων*, sed ut hoc ab loco alienum omisit. Isocrates autem et ipse *τὰ ὄντα* significari ratus (si modo ratus est) quanta sit fide nemo erit quin e contextu loci videat.

Praeterea quam ipse Sanderus[1]) profert explicationem nequaquam probaverim. Contrariorum enim exempla ab Aristotele allata (*λευκὸν μέλαν, γλυκὺ πικρόν, ἀγαθὸν κακόν, μέγα μικρόν*) ad corpus tantum humanum pertinere vult. Sed hanc interpretationem falsam esse cum alia docent tum voces *ἀγαθὸν κακόν*, quas ethica ratione intelligendas esse mihi quidem constat. Nam eis locutionibus quas Sanderus laudat ut *ἀγαθὸν*

1) Philippsonum (l. l. pag. 185) ut videtur secutus, qui 'In hominis' inquit 'corpore plurima duo sunt, album et nigrum, dulce et amarum, bonum et malum, parvum et magnum'. Contrario errore Unna (pag. 54): 'Ethica ratio in oculos incidit'.

id quod sanandi, *κακὸν* id quod nocendi vim habeat sonare demonstret (scil. *ἀγαθὸν πυρετοῦ*, *ἀγαθὸν ὀφθαλμίας*, *ἀγαθὸν λιμοῦ*), genitivo non addito illam vim subici non posse vix est quod moneam. Accedit quod Diogenem neglexit Sanderus, qui optimis auctoribus nixus claris verbis negat ad medicinam haec verba spectare. Denique valde me dubitare confiteor utrum *τὰ ἀνθρώπινα* verti possit 'corpora humana' an potius latius pateat.

Reliquas huius fragmenti interpretationes cum perlustremus, Stanleyus (hist. philos. Lipsiae 1711 pag. 823) qui 'multas esse humanarum rerum causas' Crotoniatam disputantem facit, non magis dignus est quem respiciamus, quam Olearius eiusdem editor qui quasi correcturus annotat: 'Tota hominis vita obnoxia est contrariis et quidem quae sint *τῆς τύχης* vel *τὰ τυχόντα* [!] ut sensus sit: Esse suas plerisque humanarum rerum vices.' — Perperam Mericus quoque Casaubonus (ad Laërt. Diog. l. l.) 'Cum ex disciplina' inquit 'Pythagorae Alcmaeonis dogmata manasse prodat Aristoteles [?], Pythagorae autem *τὸ ἕν* idem atque *ἀγαθόν*, *θεός*, *νοῦς*, omnis origo boni, *δυὰς* autem *ἀόριστον*, *ὕλη*, malum et omnis origo mali: facit vox *ἀνθρώπινα* in verbis Alcmaeonis, ut eum id quoque, si non praecipue, voluisse credam *τὰ χερείονα νικᾶν*, id est mali plus in vita esse quam boni.' — Equidem proprio sensu *τὰ ἀνθρώπινα* de omnibus humani mundi rebus hic dici affirmaverim. Nam haec interpretatio non simplicissima solum est, sed inde quoque veri simillima, quod eodem quo fragm. I vidimus modo divina humanis hic quoque opposuisse eum apparet. Idem Unna iam dubitanter profert: 'Humani notionem ut generaliora verba vitaret [?!] addidisse videtur, nisi veri similius eum humanis tantum rebus dualitatem, divinis autem unitatem tribuisse.'

Iam qua ratione *δύο* sint res humanae[1]) si rogamus alteras res alterius contrarii imagines praebere Tennemannus[2])

1) De dualismo Alcmaeoniano conferas Ioëlium (*Fichtes Zeitschrift für Philos. 90, 225*).

2) *Gesch. d. Philos.* pag. 113: *Alle mannigfaltigen Dinge, welche die Menschen kennen, sind zwiefach; d. h. der Art, dafs sie unter eine von zwei entgegengesetzten Klassen gebracht werden können.*

putat. Sed quae de morbis atque de humani corporis natura Alcmaeo dixit (v. fragm. XXII) faciunt ut unamquamque potius rem contraria inter se permixta amplecti censeamus.

Sed quamvis multis difficultatibus hic locus obstructus sit, hoc perspicuum est, ab eis, qui binorum contrariorum decadem docuerint, diligentissime illum ab Aristotele discerni, cuius verba clara sunt et quae diligentes magis lectores quam doctos interpretes requirant. Itaque cum Rittero (*Gesch. d. Philos.* 125, 1), Philippsono (l. l. 185), Zellero ($I^5$ 355, 1) valde miror, quod non solum Krugium[1]), sed etiam Chaignetum[2]) et Buhlium[3]) nec non Hegelium[4]) invenio narrantes *συστοιχίας* auctorem ab Aristotele eum dici.

Verum non modo inter eos qui infinita esse rerum principia voluerunt philosophos nusquam, quantum video, Alcmaeonis fit mentio, sed etiam huius enuntiati forma minus distincta atque accurata est[5]), quam ut hanc de humanarum rerum contrariis doctrinam fusius eum tractasse putari possit. Itaque tam debili in fundamento philosophiam quandam de rerum origine eum posuisse negaverim.

At cur tandem contrarietates omnino eum tetigisse censebimus? Non alia, mihi crede, de causa[6]), nisi ut hac ex sententia latius patente peculiarem quam de morbis corporisque humani natura prolaturus erat doctrinam cogeret. Quam ob rem haec verba quasi e prooemio subsequentis fragmenti dempta esse mihi videntur.

### Fragm. XXII.

Aëtius Plac. V 30, 1 (Dox. 442 a 3): *Ἀλκμαίων τῆς μὲν ὑγείας εἶναι συνεκτικὴν τὴν ἰσονομίαν τῶν δυνάμεων, ὑγροῦ*

1) *Gesch. d. Philos.* pag. 111.

2) *Pythagore* II 50 sq.

3) *Lehrbuch d. Gesch. d. Philos.* I 247.

4) Ges. Werke XIII 325.

5) *Τὰ πολλὰ τῶν ἀνθρωπίνων.* Cf. Aristotelis illud *τὰς τυχούσας* nec non *ἀπέρριψεν.* Porro attendas qua confusione permisceantur contraria et e sensibus et e ratione petita, cum Aristoteles (Phys. A 5, pag. 188 b 30) eos qui contraria principia esse velint distinguat *τῷ τοὺς μὲν γνωριμώτερα κατὰ τὸν λόγον, τοὺς δὲ κατὰ τὴν αἴσθησιν* (*λαμβάνειν*).

6) Id quod Brandisium quoque persuasum habuisse gaudeo (*Gesch. d. Entwicklung d. griech. Philos.* I 190).

ξηροῦ ψυχροῦ θερμοῦ πικροῦ γλυκέος καὶ τῶν λοιπῶν, τὴν δ' ἐν αὐτοῖς μοναρχίαν νόσου ποιητικήν· φθοροποιὸν γὰρ ἑκατέρου μοναρχίαν. καὶ νόσον συμπίπτειν ὡς μὲν ὑφ' οὗ ὑπερβολῇ θερμότητος ἢ ψυχρότητος, ὡς δὲ ἐξ οὗ διὰ πλῆθος †οἷον (sic Plut.; πλῆθος τροφῆς Stob.) ἢ ἔνδειαν, ὡς δ' ἐν οἷς ἢ αἷμα ⟨ἢ⟩ μυελὸν ἢ ἐγκέφαλον· †ἐν γὰρ τούτοις ποτὲ κἀκ τῶν ἔξωθεν αἰτιῶν, ὑδάτων ποιῶν ἢ χώρας ἢ τόπων (sic Plut.; κόπων Stob.) ⟨ἢ⟩ ἀνάγκης ἢ τῶν τούτοις παραπλησίων. τὴν δὲ ὑγείαν τὴν σύμμετρον τῶν ποιῶν κρᾶσιν. —

Quae Sprengelius (*Gesch. d. Med.* I 250) protulit, ut spurium esse hoc fragmentum evinceret, nil valere Littréus (Hippocr. I 14) demonstravit. Ipsius tamen Crotoniatae verba excerpi posse despero, cum hoc fragmentum non solum Stoicorum manibus aperte tractatum[1]), sed etiam pessime traditum[2]) sit. Neque tamen veri simile esse negaverim voces *ἰσονομία* et *μοναρχία* eum usurpasse, cum hic verborum usus ab aliorum medicorum sermone, quantum equidem video, abhorreat neque credibile sit novum ab epitomatore rei cuius nequaquam rara est mentio vocabulum hoc loco fictum esse.[3])

Calidum, frigidum, siccum, humidum augeri atque prae-

1) Dox. proll. 223. Ipse Alcmaeo eundem fere in modum locutus esse videtur atque auctores de morbis I 2 (VI 142, 13 L.) et de affect. 1 (VI 208, 7).

2) Dielesius ad Dox. 442 a 1; proll. pag. 30.

3) Pro *ἰσονομία* alibi dicitur *σύμμετρος κρᾶσις, συμμετρία, ἰσότης, συμφωνία, ἰσομοιρία, ἁρμονία* etc. Dielesium si sequimur, Alcmaeonem ut voce *ἰσονομία* uteretur eo adductum esse dicemus, quod *ἰσονομία* proprio sensu esset aequum inter omnes cives ius vel ipsa civitas libera (Herod. 3, 80; 5, 37; Thucyd. 6, 38; 3, 82; 4, 78; Plato 239 A, 563 B, 561 E; scolium apud Athen. 695 B); eis enim illum vixisse temporibus quibus maxime optimates et populares de summa rerum contenderent. Multo post eadem voce Epicurei usi sunt qua significarent 'eam naturam, ut omnia omnibus paribus paria responderent' (Cic. d. d. nat. I 19, 50), h. e. ut rerum genera inaequalia non essent multitudine sive ipsarum rerum sive ex quibus constarent atomorum (Hirzel, *Untersuchungen zu Cic. philos. Schriften* I 15. 86 sqq.). Similiter etiam Timaeus q. v. pag. 99 B *καὶ ἐπεὶ δυνάμει ἴσα ἐντὶ πάντα* (scil. *τὰ στοιχεῖα*), *τοὶ λόγοι αὐτῶν ἐν ἰσονομίᾳ ἐντί*. Latius patet apud Plutarchum de def. orac. 34 (pag. 428 E) *εἴπερ οὖν ἡ φύσις ἀπαιτεῖ τὴν ἰσονομίαν ἐν πᾶσιν, καὶ κόσμους εἰκός ἐστι μήτε πλείους γενέσθαι μήτε ἐλάττους τῶν παραδειγμάτων* (h. e. *τῶν πέντε στοιχείων*).

valere cum dicit, cave quattuor elementorum doctrinam ab Empedocle excogitatam hic immisceas. Immo de qualitatibus agit Aëtius, ita ut nil aliud dicat Alcmaeo nisi corpus iusta temperatura calidius vel frigidius vel siccius vel humidius morbo corripi solere. — Iam quae sequuntur voces *γλυκὺ πικρὸν* quin de sucis corpori inclusis intelligendae sint dubitari nequit, cum auctor de prisca medicina, qui et ipse (Hipp. I 16, 2 Kühlewein) *ἔνι* inquit *ἐν ἀνθρώπῳ καὶ ἁλμυρὸν καὶ πικρὸν καὶ γλυκὺ καὶ ὀξὺ καὶ στρυφνὸν καὶ πλαδαρὸν καὶ ἄλλα μυρία παντοίας δυνάμιας ἔχοντα πλῆθός τε καὶ ἰσχύν*, eadem saepius appellet *χυμούς* (ib. 16, 16; 26, 20 sqq.; 30, 2). Denique verba extrema *καὶ τὰ λοιπὰ* quid sibi velint ostendit Simplicius[1]) narrans, quemadmodum in omnibus contrariorum generibus unum contrariorum par omnium quasi vicarium poni soleat, e. gr. nigrum album pro tota colorum varietate, eundem etiam *πικρὸν γλυκὺ* omnium gustabilium qualitatum loco dici. Quae fere verba apud Alcmaeonem supplenda sint, docet auctoris de prisca medicina (l. l.) plenior enumeratio.

Quod placitum adeo apud posteriores medicos increbruit, ut facile medicinae graecae fundamentum dicas. Quamquam nemo sanus mirabitur posteriores, qui magis magisque sententiam illam excolebant, nonnulla mutasse nonnulla addidisse. Itaque sunt in quibus a plerisque Crotoniatae sententia abhorreat. Nil ille de elementis, nil de quattuor sucis principalibus; porro quae saepius narrantur de sucorum *μεταστάσει*, aliena esse videntur ab illius ratione. Denique sucos alium in alium mutari eum credidisse non est cur putemus, immo e nutrimentis concoctis (*διὰ πλῆθος τροφῆς ἢ ἔνδειαν*) quod suae cuiusque naturae aptum est attrahere. Haud secus Empedocles de ciborum concoctione locutus (v. 282 sq. St.):

*ὡς γλυκὺ μὲν γλυκὺ μάρπτε, πικρὸν δ' ἐπὶ πικρὸν ὄρουσεν,*
*ὀξὺ δ' ἐπ' ὀξὺ ἔβη, δαλερὸν δαλερῷ δ' ἐπόχευεν.*

Quam ad normam comparemus oportet Aristotelis illos locos quos Sanderus ab Alcmaeone sumptos esse contendit: Top. VI 2 pag. 139 b 21; ibid. VI 6, 145 b 8; Phys. VII 3 pag. 246 b 4. Satis habeo eum afferre locum, quem omnium

1) in phys. 193, 7; 406, 24 Diels. Cf. Aristot. de sensib. p. 442 a 12.

simillimum esse ille putat Problem. I 2 pag. 859 a 4: *Διὰ τί τὰς νόσους ὑγιάζουσι πολλάκις; . . . ἢ ὅτι ἐναντία ἀλλήλοις τὰ τὴν νόσον ποιοῦντα.* (9) *Διὰ τί αἱ τῶν ὡρῶν μεταβολαὶ καὶ πνεύματα ἐπιτείνουσιν ἢ παύουσι καὶ κρίνουσι τὰς νόσους καὶ ποιοῦσι; ἢ ὅτι θερμαὶ καὶ ψυχραί εἰσι καὶ ὑγραὶ καὶ ξηραί, αἱ δὲ νόσοι τούτων εἰσὶν ὑπερβολαί, ἡ δὲ ὑγεία ἰσότης. ἐὰν οὖν δι' ὑγρότητα καὶ ψῦξιν, ἡ ἐναντία ὥρα παύει· ἐὰν δὲ ἐναντία ὥρα ἔχηται, ἡ ὁμοία κρᾶσις ἐπιγενομένη ἐπέτεινε καὶ ἀνεῖλεν.* Vides nil hic inveniri quod ad Alcmaeonem recurrisse Aristotelem prodat. Immo in quattuor elementis doctrinam suam niti ipse prodit de part. anim. 646 a 12 coll. 648 b 4. — Nec verius Stallbaumius ad ea quae Plato docet Tim. 82 A simillimam esse Alcmaeonis doctrinam annotat. Ipse videas quae profert Plato: *τὸ δὲ τῶν νόσων ὅθεν ξυνίσταται δῆλόν που καὶ παντί. τεττάρων γὰρ ὄντων γενῶν, ἐξ ὧν συμπέπηγε τὸ σῶμα, γῆς πυρὸς ὕδατός τε καὶ ἀέρος*[!], *τούτων ἡ παρὰ φύσιν πλεονεξία καὶ ἔνδεια καὶ τῆς χώρας μετάστασις*[!] *ἐξ οἰκείας ἐπ' ἀλλοτρίαν γιγνομένη, πυρός τε αὖ καὶ τῶν ἑτέρων, ἐπειδὴ γένη πλείονα ἑνὸς ὄντα τυγχάνει, τὸ μὴ προσῆκον ἕκαστον ἑαυτῷ προσλαμβάνειν*[!] *καὶ πάνθ' ὅσα τοιαῦτα στάσεις καὶ νόσους παρέχει.*

Porro Alcmaeonis e libro Platonem quae in Symposii pag. 186 CD Eryximachum medicum loquentem facit, hausisse Zellerus conicit. Verba sunt haec: . . . . . . *ἔστι γὰρ ἰατρικὴ ὡς ἐν κεφαλαίῳ εἰπεῖν ἐπιστήμη τῶν τοῦ σώματος ἐρωτικῶν πρὸς πλησμονὴν καὶ κένωσιν, καὶ ὁ διαγιγνώσκων ἐν τούτοις τὸν καλόν τε καὶ αἰσχρὸν ἔρωτα, οὗτός ἐστιν ὁ ἰατρικώτατος, καὶ ὁ μεταβάλλειν ποιῶν, ὥστε ἀντὶ τοῦ ἑτέρου ἔρωτος τὸν ἕτερον κτᾶσθαι, καὶ οἷς μὴ ἔνεστιν ἔρως, δεῖ δ' ἐγγενέσθαι, ἐπιστάμενος ἐμποιῆσαι, καὶ ἐνόντα ἐξελεῖν, ἀγαθὸς ἂν εἴη δημιουργός. δεῖ γὰρ δὴ τὰ ἔχθιστα ὄντα ἐν τῷ σώματι φίλα οἷόν τ' εἶναι ποιεῖν καὶ ἐρᾶν ἀλλήλων. ἔστι δὲ ἔχθιστα τὰ ἐναντιώτατα, ψυχρὸν θερμῷ, πικρὸν γλυκεῖ, ξηρὸν ὑγρῷ, πάντα τὰ τοιαῦτα· τούτοις δ' ἐπιστηθεὶς ἔρωτα ἐμποιῆσαι καὶ ὁμόνοιαν ὁ ἡμέτερος πρόγονος Ἀσκληπιὸς . . . . . τὴν ἡμετέραν συνέστησε τέχνην.* Atque Thierschius quidem (Specimen editionis symposii Platonici pag. 12 sq. Gottingae 1808) quique eum sequuntur in editionibus suis Rueckertus, Stallbaumius, Hugius horum verborum

ut priora ita etiam posteriora atque extrema (*δεῖ γὰρ δὴ ....*) ex Hippocrate fluxisse sibi persuaserunt. Quod minime verum esse vel inde patet, quod non solum sucorum principalium nulla fit quae debebat mentio, sed etiam nisi eiectis verbis *γλυκὺ πικρὸν* opinionem suam evincere illi nequeunt. At in eo nituntur quod paullo post eadem in oratione (pag. 188 A) neglectis vocibus *γλυκὺ πικρὸν* legitur *ἐπεὶ καὶ ἡ τῶν ὡρῶν τοῦ ἐνιαυτοῦ σύστασις μεστή ἐστιν ἀμφοτέρων τούτων* (scil. *ἐρώτων*), *καὶ ἐπειδὰν μὲν πρὸς ἄλληλα τοῦ κοσμίου τύχῃ ἔρωτος ἃ νῦν δὴ ἐγὼ ἔλεγον* (scil. pag. 186 D), *τά τε θερμὰ καὶ τὰ ψυχρὰ καὶ ξηρὰ καὶ ὑγρά, καὶ ἁρμονίαν καὶ κρᾶσιν λάβῃ*. Sed recte Rettigius (*Platos Symposion erklärt*, *Halle* 1876) nonnisi de anni temporibus quadripertitis verba hic fieri monet. Praeterea quae in ipsa pag. 186 D adduntur verba *πάντα τὰ τοιαῦτα* omnem interpolationis suspicionem submovent, quippe quae Hippocraticam doctrinam hic non delineari clarissime ostendant.

Haec igitur verba *δεῖ γὰρ δὴ* sqq. Rettigio probante ab Alcmaeone originem duxisse Zellerus conicit. Atque antiquissimae certe sapientiae hic latere vestigia ipse Plato dilucide profitetur hisce: *τούτοις δ' ἐπιστηθεὶς ἔρωτα ἐμποιῆσαι ὁ ἡμέτερος πρόγονος Ἀσκληπιὸς* (h. e. prisci medici) *τὴν ἡμετέραν συνέστησε τέχνην*. Sed num ipse Plato antiquorum medicorum libris usus sit, plane dubium mihi videtur. Etenim est ubi plane eandem sententiam referat ut aequalis cuiusdam medici (Lysis 215 E): *ἤδη ποτέ του ἤκουσα λέγοντος .... ἐπιθυμεῖν τοῦ τοιούτου* (scil. *τοῦ ἐναντίου*) *ἕκαστον, ἀλλ' οὐ τοῦ ὁμοίου· τὸ μὲν γὰρ ξηρὸν ὑγροῦ, τὸ δὲ ψυχρὸν θερμοῦ, τὸ δὲ πικρὸν γλυκέος, τὸ δὲ ὀξὺ ἀμβλέος, τὸ δὲ κενὸν πληρώσεως καὶ τὸ πλῆρες κενώσεως καὶ τἆλλα οὕτω κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον.*[1]) Quin tritam ac vulgarem priscos apud medicos hanc fuisse sententiam auctor de prisca medicina plane ac dilucide ostendit his (Hipp. I 16, 2 Kühlewein): *ταῦτα γὰρ ἑώρων καὶ ἐν τῷ ἀνθρώπῳ ἐνεόντα καὶ λυμαινόμενα τὸν ἄνθρωπον. ἔνι γὰρ ἐν ἀνθρώπῳ καὶ ἁλμυρὸν καὶ πικρὸν καὶ γλυκὺ καὶ ὀξὺ καὶ*

1) De corpore humano haec dici docet cum ceterorum contrariorum delectus tum *πλήρωσις* et *κένωσις*.

*στρυφνὸν καὶ πλαδαρὸν καὶ ἄλλα μυρία, παντοίας δυνάμιας ἔχοντα πλῆθός τε καὶ ἰσχύν. ταῦτα μὲν μεμειγμένα καὶ κεκρημένα ἀλλήλοισιν οὔτε φανερά ἐστιν οὔτε λυπεῖ τὸν ἄνθρωπον· ὅταν δέ τι τούτων ἀποκριθῇ καὶ αὐτὸ ἐφ' ἑωυτοῦ γένηται, τότε καὶ φανερόν ἐστι καὶ λυπεῖ τὸν ἄνθρωπον.* Ergo medicos vides Platone vetustiores[1]) illam doctrinam referre. Idem tamen etiam in priores auctores digitum intendit, cum dicit (pag. 15, 12 Kühlew.) de eis quos initio enuntiati significaverat (*ἑώρων*): *καλῶς καὶ λογισμῷ προσήκοντι ζητήσαντες πρὸς τὴν τοῦ ἀνθρώπου φύσιν εὗρον αὐτὰ οἱ πρῶτοι εὑρόντες καὶ ᾠήθησαν ἀξίην τὴν τέχνην θεῷ προσθεῖναι.* Inter hos principes quin Alcmaeonem habuerit, vix est quod dubites.

At Gomperzius (l. l. pag. 241), cum auctor de prisca medicina solum calidum vel frigidum nulla alia qualitate admixta homini quidquam obesse vel prodesse posse neget, impugnari potius ab eo Alcmaeonem existimat. Sed ut omittam ne hunc quidem a calido frigidoque omnem in corpore vim abiudicare (pag. 18, 8 Kühlew.: *ψυχρότητα δ' ἐγὼ καὶ θερμότητα πασέων ἥκιστα τῶν δυναμίων νομίζω δυναστεύειν ἐν τῷ σώματι*; cf. 18, 12 sqq.), sed quam maxime eam circumcidere velle adductus studio refutandi eos qui solas eas posuerint: num quaeso in Alcmaeonem cadere tibi videntur, quae ille de adversariis suis narrat (c. 1 pag. 1, 2 Kühlew.), quos *ὑπόθεσιν αὐτοὺς αὐτοῖς ὑποθεμένους τῷ λόγῳ θερμὸν ἢ* (!) *ψυχρὸν ἢ ὑγρὸν ἢ ξηρὸν ἢ ἄλλο τι ὃ ἂν θέλωσι* iam hoc ipsum quod posuerunt *τὴν ἀρχὴν τῆς αἰτίης τοῖσι ἀνθρώποισι νούσων τε καὶ θανάτου, καὶ πᾶσι τὴν αὐτήν, ἓν ἢ δύο ὑποθεμένους* docuisse dicit? Immo in Philolaos atque Hippones (cf. pag. 93 sqq.) invehitur, ipse Alcmaeonis doctrinam leviter mutatam secutus.

Sed latius res patet. Nam ea ipsa quae supra exposui faciunt, ut deliberemus, utrum iure Alcmaeonem an potius ignotum quendam medicum vetustiorem e numero *τῶν πρώτων ζητούντων πρὸς τὴν τοῦ ἀνθρώπου φύσιν* huius doctrinae auctorem esse putemus. Nam ut scripsisse primus putandus est cum de ceteris rebus medicis (cf. pag. 20) tum de morborum

1) Videtur hic auctor inter antiquiores collectionis Hippocraticae medicos numerandus esse.

origine, ita num ipse excogitaverit haud scio an quis incertum ducat. Et sane profligari res nequit. Sed cum et quantum harmoniae tribuerint Pythagorei constet, et contrariorum multitudinem infinitam eidem primi quantum scimus[1]) posuerint, cumque his ipsis rebus tota illa doctrina aperte nitatur, suum in honorem Alcmaeonem restituendum esse censuerim. Quod si verum, non gravabimur patrem medicinae graecae Alcmaeonem nominare, utpote a quo non sucorum modo doctrina petenda sit, quam longe plurimi medicorum aliter alii secuti sunt, sed etiam aequae temperaturae, quam omnes; nam *εἴτε ἐξ ὄγκων καὶ πόρων, ὡς Ἀσκληπιάδης ὑπέθετο, τὰ τῶν ζῴων σύγκειται σώματα, συμμετρία τούτων ἐστὶν ἡ ὑγίεια· εἴτε ἐξ ἀτόμων, ὡς Ἐπίκουρος, εἴτε ἐξ ὁμοιομερῶν, ὡς Ἀναξαγόρας, εἴτε ἐκ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ καὶ ξηροῦ καὶ ὑγροῦ, καθάπερ ὅ τε Χρύσιππος δοξάζει καὶ πάντες οἱ Στωικοὶ καὶ πρὸ αὐτῶν Ἀριστοτέλης καὶ Θεόφραστος καὶ πρὸ τούτων ἔτι Πλάτων καὶ Ἱπποκράτης, ἡ τῶν στοιχείων κατὰ πάντα συμμετρία τὴν ὑγίειαν ἐργάζεται* (Galenus in Plat. et Hipp. plac. 426, 12 Müller).

### Fragm. XXIII.

Clemens Alex. Strom. VI 2, 16 (III 106 Klotz): . . . *Ἀλκμαίωνος τοῦ Κροτωνιάτου λέγοντος· ἐχθρὸν ἄνδρα ῥᾷον φυλάξασθαι ἢ φίλον.* —

'De ethicis quoque' (Philippsoni verbis utor) 'multa eum edixisse atque in Stobaeo unam vel alteram eius de re ethica sententiam latere' persuadere mihi non possum, cum Laërtius, qui quibus de rebus Alcmaeo scripserit optimos auctores secutus accurate exponit (*τὰ πλεῖστά γ' ἰατρικὰ λέγει, ὅμως δὲ καὶ φυσιολογεῖ ἐνίοτε*), de re ethica prorsus taceat. Cf. quae de Epicharmo idem (VIII 78): *οὗτος ὑπομνήματα καταλέλοιπεν, ἐν οἷς φυσιολογεῖ, γνωμολογεῖ, ἰατρολογεῖ.*

Quaeritur tamen, utrum una alterave sententia ethica rebus medicis nescio quo pacto aspersa esse potuerit. Neque

1) Nam quod Simplicius (in phys. 150, 22 Diels) *ἐνούσας γάρ*, inquit, *τὰς ἐναντιότητας ἐν τῷ ὑποκειμένῳ, ἀπείρῳ ὄντι σώματι, ἐκκρίνεσθαί φησιν Ἀναξίμανδρος, πρῶτος αὐτὸς ἀρχὴν ὀνομάσας τὸ ὑποκείμενον. ἐναντιότητες δέ εἰσιν θερμὸν ψυχρὸν ξηρὸν ὑγρὸν καὶ τὰ ἄλλα*, ultima verba a commentatore addi recte Zellerus monet (I[5] 220, 1).

quidquam impedit, quominus sententioso quodam dicendi genere Alcmaeonem usum esse putemus, ut decet hominem illis scribentem temporibus, quibus proversa oratio brevi ante e poesi nata originis tenebat vestigia manifesta, praesertim cum ad Pythagoreos illa ipsa re excellentes proxime ille accedat. Itaque dixerit quis haec verba comparationis ritu eum dixisse, quippe quibus a voluptatibus homines avertere studeret dulcibus illis quidem, sed corporis naturae ipsis eis rebus quae aperte nocerent quasque cavere facillimum esset multo offensioribus.[1]) Vereor tamen, ne talia remotiora fuerint, praesertim in libro tam paucorum hominum atque in ceteris rebus ab ethicis adeo discrepantis, quam quorum memoriam scriptores ethicos summa e vetustate eruisse credibile sit. Itaque e tragoedia quadam de Alcmaeone Amphiarai filio composita hoc fluxisse, Crotoniatae autem nomen falso Clementem praeposuisse ut Sandero ita mihi veri simile videtur.

# Tertia pars.

## Quae ratio intercedat inter Alcmaeonem ceterosque Graecorum medicos et philosophos.

Proximum est, ut quam philosophorum sectam Alcmaeo secutus sit quaeramus. Qua in re licet proficisci ab Aristotelis coniectura, qui ad fragm. XXI aut ipsum a Pythagoreis aut Pythagoreos ab illo sua accepisse annotat. Atque suo iure Aristotelem contendere necessitudine quadam quovis modo iunctos eos esse, haud parvae docent similitudines. Consentiunt de doctrina contrariorum, quae infinita esse hi primi voluerunt quaeque in binorum contrariorum ordinem utrique redegerunt. Quae contraria, cum in corporibus sint inclusa, ne sese impugnent cautum est isonomia, quacum Pythagoreorum harmoniam conferre non dubitabis. Sed quamquam concordi pace hunc in modum ligata sunt, tamen fieri potest,

1) Similiter Pythagoram disserentem facit Porphyrius v. Pythag. 39: *τὴν μὲν γαστρὶ καὶ ἀφροδισίοις διὰ πολυτελείας κεχαρισμένην* (scil *ἡδονὴν*) *ἀπείκαζε ταῖς ἀνδροφόνοις τῶν Σειρήνων ᾠδαῖς.*

ut isonomia eversa binorum contrariorum alterum excedat modum iustum ac legitime concessum. Carent enim humana omnia perfectione atque absolutione: *μετάβλητα* sunt, ut voce Pythagorica utar, et plane contraria divinis (*ἀμεταβλήτοις*), quae non solum unitate atque immortalitate, sed veri quoque cognoscendi facultate longe hominibus antecellunt.[1]) Denique animam immortalem esse utrique professi sunt. — Iam cum consideraveris (id quod equidem haud parvi momenti esse censeo) eisdem Alcmaeonem temporibus eodemque in oppido atque Pythagoreos vixisse, quin ad Brontinum Pythagorae et assectatorem et affinem (Diog. VIII 42; Iambl. v. Pyth. 267) librum suum eum misisse: sine dubio non solum similitudines haud parvas inter eos intercedere confiteberis, sed etiam casui tribuendas eas esse negabis.[2])

Sed Sanderus adversarius nobis exsistit. Negat ullam inter eos intercedere similitudinem; negat ullo modo fieri potuisse, ut aut Pythagorei Alcmaeonem aut Alcmaeo Pythagoreos sequeretur.

Atque Pythagoreos Alcmaeonem secutos esse quominus credamus ea re nos impediri Sanderus dicit, quod dualismus ille (fragm. XXII) principium sit disciplinae Pythagoreae. Sed optime mea quidem sententia Zellerus ($I^5$ 359 sq., 387 sq.) evicit e numerorum potius doctrina Pythagoreorum decreta initium duxisse. Qua in doctrina cum contrarietas *τοῦ περιττοῦ* et *τοῦ ἀρτίου* lateret, Alcmaeonem inde progressum contraria amplecti res humanas primum ostendisse cogitari potest.

Porro Alcmaeonem a Pythagoreis sua didicisse propterea veri dissimillimum esse Sanderus contendit, quod Pythagoreorum contraria in cognitione posita sint, Alcmaeo usu cognita

---

1) Philolaus apud Stobaeum Ecl. I 21 ed. Wachsmuth: *ἁ μὲν ἐστὼ τῶν πραγμάτων ἀΐδιος ἔσσα καὶ αὐτὰ μόνα φύσις θεία ἐντὶ καὶ οὐκ ἀνθρωπίναν ἐνδέχεται γνῶσιν κτλ.* Idem ibid. I 22: *περὶ μὲν τὰ τεταγμένα τῶν μετεώρων γίνεσθαι τὴν σοφίαν, περὶ δὲ τῶν γινομένων τὴν ἀταξίαν τὴν ἀρετήν, τελείαν μὲν ἐκείνην, ἀτελῆ δὲ ταύτην.*

2) Semen Pythagoram quoque stillam cerebri existimasse narrat Diog. VIII 28; at sanguinis spumam Dox. 417 a 6. Feminas quoque semen effundere Samius docuisse fertur Dox. 418 a 5, principatumque in cerebro posuisse dicitur Dox. 207 med. Tamen cavendum est ne singula premamus, quippe quae vere Pythagorea haberi non possint.

sua habuerit, ita ut haec priora, illa posteriora esse in promptu sit. Neque enim intelligi posse, quare retro pedem Alcmaeo tulerit. At cum omnis philosophia, quamvis rationi indulgeat, in sensibus nitatur necesse sit, ante illam *συστοιχίαν* ab Aristotele traditam etiam Pythagoreorum olim exstitisse infinitam sensibilium contrariorum tabulam nemo negabit. Nam decadem illam conclamatam nonnisi electam esse ceterorum contrariorum e numero in promptu est, praesertim cum plures decades fuisse Simplicius narret (in phys. 26, 26 Diels). Iam concedamus Pythagoreorum tabulam, qualem tradit Aristoteles, iam Alcmaeonem novisse[1]): quid medico cum argutiis istis? Nam quam de corporis humani natura prolaturus erat doctrinam nisi e contrariis usu cognitis colligere non potuit. Itaque regrediendum ei erat, *συστοιχίᾳ* sine reprehensione neglecta, ad *συστοιχίας* fundamenta, h. e. ad ea contraria quae in sensibus nituntur.

Vides fieri potuisse, ut utrumque accideret, neque recte erroris culpam in Aristotelem Sanderum[2]) conferre. Utrum verum sit, quamquam nos non magis quam Aristoteles, qui libellum eius legit, diiudicare possumus, tamen, si coniectura uti licet, Alcmaeonem potius a Pythagoreis pendere dicemus,

1) Id quod nequaquam veri videtur simile; cf. Zellerum (I⁵ 355) et Tanneryum (p. l'hist. d. l. sc. hell. pag. 206).

2) Qui quomodo de Aristotele iudicet facere non possum, quin ipsius verbis ostendam: „*Aristoteles hat sich geirrt; beide Lehren sind vollständig unabhängig von einander. Man wird zugeben, daſs diese Auffassung uns von der Notwendigkeit befreit, einer von beiden Parteien Zwang anzuthun oder geringe Denkfähigkeit* [?] *zuzutrauen. Sicher sind die Gegensätze hüben und drüben verschieden; so urteilt auch Aristoteles, der diesen Unterschied ganz wohl charakterisiert: διωρισμένα bei den Pythagoreern, αἱ τυχοῦσαι bei Alkmaeon. Nur daſs er an dieser Stelle überhaupt nicht mit dem Philosophen, sondern mit dem Arzt Alkmaeon zu thun hat* [contra dixi ad fragm. XXI], *das hat er nicht erkannt, und weil er es nicht erkannte, weil ihn die rein äuſserliche Ähnlichkeit der beiden Dualismen, vielleicht nur weil ihn die zufällige Übereinstimmung im Wortlaute* (*ἀγαθὸν κακόν*) [!] *irre leitete, darum und nur darum sah er sich versucht, den Alkmaeon hier mitzubehandeln. Als er dann* [?] *merkte, daſs er bei ihm gar nichts Philosophisches, gar keine scharfe Abgrenzung fand, da wurde er böse und warf ihm vor: ἀδιορίστως ἀπέρριψε περὶ τῶν λοιπῶν. Daſs er ihm dann mit den Schluſsworten, man könne von ihm entnehmen, ὅτι τἀναντία ἀρχαὶ τῶν ὄντων, Unrecht that, das hat er entweder nicht gemerkt oder nicht merken und zugeben wollen* [?!].“

quippe qui doctrinam illam non exponat, sed velut ab aliis accuratius iam explicatam stringat tantum praeteriens (cf. pag. 76, 5). —

Sunt qui ne Heracliti quidem vestigia in Alcmaeonis decretis deesse putent. Ne singulis decipiamur, omnia comparemus oportet, quae ex eorum doctrina similia videantur. — Primum et Heraclitus et Alcmaeo sensus μὴ τῷ ὁμοίῳ fieri voluisse dicuntur. Sed Heracliti mentio (Theophr. de sensu 1 = Dox. 499, 3) dubitatione non caret; cf. Dielesium et Philippsonum ad l. l. — Iam Philoponus (cf. pag. 55), qui eam ob causam animam immortalem esse Alcmaeonem putasse narrat, quod sit ἐκ τοῦ οὐρανίου σώματος, id quod ab Heraclito petitum esse haud scio an quis dicat, sane exigua est fide (cf. pag. 30). — Porro ne de annis climactericis eos consentire mireris, cf. quae pag. 64 sq. exposui. — Praeterea simillima de corporis humani natura Heraclitus proferre videtur. Tria docet in corpore humano inesse elementa, scil. πῦρ γῆν θάλασσαν, quae conversionibus quibusdam certis naturam inter se mutent ita, ut e. gr. aqua tantundem humoris, quantum igni terraeque dederit, ipsa ab igni terraque recipiat certa naturae lege, quam ἁρμονίαν ille vocat. Vides nil hic dici de binis contrariis innumerabilibus, immo de trium circulo certo atque constituto; praeterea de elementis Heraclitus, de qualitatibus vel sucis Alcmaeo. Quin ne harmoniae quidem notio, si accurate rem tractamus, eadem est atque isonomiae. Nam isonomia eandem utrique contrario potestatem concedit; harmonia prohibet illa quidem, ne vis cuique elemento ex initio concessa vel minuatur vel augeatur, sed utrum eadem cuique concessa sit an maior uni (e. gr. igni) quam ceteris, ex harmoniae certe notione non elucet. Tamen hac in aequitate tota Alcmaeonis doctrina nititur. —

At immensa contrariorum multitudo ab Heraclito petenda videtur, qui contrariorum innumera profert exempla! Ut omittam nil esse, cur negemus a Pythagoreis et ipsis Crotone docentibus hoc esse petitum, vereor, ne alia sint Heracliti contraria, alia Alcmaeonis. Heraclitus enim, cum omnia ex igne orta esse putet, contraria ubicunque inveniri non potest contendere nisi ita, ut, cum semper fluant res ab altero con-

trario ad alterum tractae, semper inter contraria quasi suspensae itaque eorum participes sint. Contra Alcmaeo ex initio in mundo existere contraria neque alio quodam e principio orta esse, immo ipsa principia esse existimat. Qua re fit, ut id quod Heraclitus saepissime ponit, alterum contrarium idem esse quod alterum, ab Alcmaeonis opinione quam maxime recedat.

Iam ne alterius quidem quod est e primariis Heracliti decretis de ignis principio vestigia apud Alcmaeonem invenio. Neque enim usquam maiorem vim concedit calidi frigidique contrariis quam ceteris, ita ut etiam in corpore humano, in quo maxime conspicua est calidi potestas, nihilo plus ad morbum efficiendum valere ea censeat quam dulcis amarique contraria. Praeterea stellarum igneam naturam plane negligit, motum premit. Denique Aristoteles Met. A 5 ne mentionem quidem facit *θερμοῦ* vel *ψυχροῦ*.

Porro non negligendum esse videtur, quomodo de cognitione humana uterque iudicaverit. Alcmaeo coniectura uti modeste gravatur, utpote rationi parum confisus; Heraclitus *ἅπαντα τὰ αἰσθητὰ ἀεὶ ῥεῖν* arbitratus (Met. I 6, 987 a 32; Zeller I[5] 715) sensus plane spernit et *δόξῃ* tantum nititur eaque *σφόδρα βεβαίῳ καὶ ἀμεταπείστῳ* (M. Mor. II 4 1201 b 7). Qualis exsistat medicus, qui Heracliti methodum sequatur, videre licet e libri de victu ineptiis (Hipp. VI 466 L; Zeller I[5] 694 sq.), quem qui scripsit *ὀφθαλμοῖσι μᾶλλον ἢ τῇ γνώμῃ πιστεύειν* homines incredibilem, ut medicus, in modum queritur.

At gravissimum esse dicunt quod de stellis plane consentiat cum Heraclito. Vereor tamen, ne nimis unum illum de luna consensum illi presserint. Quid? Nonne solis formam planam esse Alcmaeo finxit? Quid quod solem cotidie novum oriri vult Ephesius, quem immortalitatis specimen Alcmaeo proposuit? quod stellarum, quas divinas esse statutum habet Alcmaeo, summum eum fuisse contemptorem fragmenta (cf. Zeller I[5] 685, 5) docent? Ab hoc tu credes de una lunae forma edoctum esse Alcmaeonem? Praesertim quam ne invenisse quidem Heraclitus putandus sit. Duae enim illis temporibus vulgatae erant de stellis opiniones: altera simplicissima atque ex ipsa stellarum specie temere assumpta, planos eas esse orbes igneos; altera eorum qui magis exculti et lunae solisque de-

fectus mirati σκαφοειδεῖς eas esse persuasum habebant. Quae opinio, quam sunt qui ex Aegypto petendam esse censeant, quanto vetustior certe sit Heraclito[1]) fabula illa docet de solis φιάλῃ ab antiquissimis poetis ubique celebrata, quorum Athenaeus (XI 469 D) enumerat hosce: Pisandrum, Panyassim, Stesichorum, Antimachum, Aeschylum, Mimnermum, Pherecydem. Denique vereor, ne quod apud Stobaeum legimus de lunae defectibus placitum, non sit Heracliti, sed τῶν Ἡρακλειτιζόντων; nam qualem ipse Ephesius lunae formam esse existimaverit, prorsus nescimus.[2])

Porro Parmenidem inter atque Alcmaeonem qualis intercedat ratio si quaerimus, nil est cur alterum ex altero sua hausisse dicamus. Nam cum in ceteris fere discrepent, illud nil valet in tot praesertim philosophorum consensu, quod feminas quoque semen emittere congruunt. Accedit quod dissident de sexus origine (Dox. 420 a 1 et Censor. d. die nat. 6, 5; cf. Dox. 192. 194), et ne de similitudine quidem liberorum idem sensisse putandi sunt, quoniam quam Parmenides similitudinis causam existimasse videtur (cf. Karsten Phil. gr. vet. I 2, 264; errare Censorinum 6, 8 et Aëtium V 11, 2 docet Dielesius Dox. 193), eandem ad sexus diversitatem pertinere voluit Alcmaeo (fragm. XIV). Uter autem prior embryologiae operam navaverit nescimus, cum et aequales fere sint neque a medico philosophum has ad res tractandas commotum putare necesse sit; neque enim ullam quaestionem studiosius disceptaverunt omnes fere et philosophi et medici, quam hanc de hominum progenie.

Sed ad Pythagoreos revertamur, quibuscum consentire Alcmaeonem nobis constat. Tamen inter ipsos Pythagoreos num numerandus sit, equidem valde dubito. Quamquam non desunt qui Pythagoram eum audisse tradant, ut Iamblichus v. Pyth. 104 (cf. pag. 4); sed sive ex Aristotelis loco Met. A 5 falso hoc

---

1) Cuius placita quam sint similia Xenophaneis (nisi quod σκάφος illud ut vulgi poetarumque narratiunculam Eleata spernit) exposuit Karstenius Philos. gr. vet. I 1 pag. 163, 47; 165, 54. 55; 166, 58; 167, 60.

2) Zeller I[5] 685, 3: *Daſs Heraklit den Mond, wie die Sonne, für eine feuererfüllte Schale gehalten, ist absolut unerweislich. S. Bernays, Ges. Abhdl. I 12.*

concludit sive aliunde hausit, minimam ei fidem habendam esse ipse locus plenus ineptiarum ostendit. Non maiore fide Laërtius Diogenes dignus esse videtur, qui l. l. narrat: *καὶ οὗτος Πυθαγόρου διήκουσε*. Aristotelis autem qualis fuerit opinio, discimus e Met. l. l., ubi ipsa oppositione *οὗτος μὲν . . . . . οἱ δὲ Πυθαγόρειοι* Alcmaeonem a Pythagoreis segregat. Quod falso interpretatur Philoponus (ad Arist. de an. 405 a 29; cf. h. diss. pag. 55), qui solo in Aristotele se niti ipse concedit; recte Simplicius (ad eundem locum): *ὁ Ἀλκμαίων Κροτωνιάτης ὢν ὑπὸ μὲν ἄλλων ὡς Πυθαγόρειος παραδέδοται, ὑπὸ δ' Ἀριστοτέλους ἐν τῇ Μετὰ τὰ φυσικὰ ὡς τὰς δύο συστοιχίας ἢ αὐτὸς παραδοὺς τοῖς Πυθαγορείοις ἢ παρ' ἐκείνων λαβὼν μνήμης ἠξίωται.* Aristotelis autem opinio, cum probe librum Alcmaeonis cognitum habuerit, tanti momenti esse mihi videtur, ut ea acquiescendum esse putem. Praesertim cum ne Theophrastus quidem aliter iudicasse videatur, quoniam et Aëtius (Dox. 360 a 1, b 1), postquam accuratius de Pythagoreis locutus plures eorum sectas enumeravit, eodem in capite proprium Alcmaeoni lemma concedit, et Cicero (d. nat. deor. I 11) ante Pythagoram, post Ionicos eum ponit. Accedit quod non incredibiliter Demetrius Magnes Philolaum primum inter Pythagoreos librum edidisse narrat (Laërt. Diog. VIII 7, 4; 1, 5). Praeterea numerorum doctrinae, quam Pythagoreorum primarium fuisse placitum scimus, ne minimum quidem in Alcmaeonis fragmentis vestigium exstat.[1]) Num animas migrare ille docuerit, admodum mihi dubium est. Nam etiamsi quomodo *αἴσθησις* per *μνήμην* atque *δόξαν* fiat *ἐπιστήμη*, illum docuisse Hirzelio concesseris, tamen Platonis in Phaedri p. 294 A B verba haec: *ἔνθα καὶ εἰς θηρίου βίον ἀνθρωπίνη ψυχὴ ἀφικνεῖται καὶ ἐκ θηρίου, ὅς ποτε ἄνθρωπος ἦν, πάλιν ἐς ἄνθρωπον· οὐ γὰρ ἥ γε μήποτε ἰδοῦσα τὴν ἀλήθειαν εἰς τόδε ἥξει τὸ σχῆμα. δεῖ γὰρ ἄνθρωπον ξυνιέναι κατ' εἶδος λεγόμενον ἐκ πολλῶν ἰὸν αἰσθήσεων εἰς ἓν λογισμῷ ξυναιρούμενον* totane Alcmaeoni tribuenda sint an vel ipse Plato vel is quem auc-

---

1) Fragm. XV huc non pertinet. Falsissime Bergkius (*Griech. Litt.-Gesch.* IV 415): *Das pythagoreische System verdankt seine Ausbildung in mathematischer Richtung vorzüglich dem Philolaus und Alkmaeon;* cui similiter iudicat Bernhardyus (*Griech. Litt.-Gesch.* I 468 ed. Volkmann).

torem adhibuit Pythagoreus in suum usum Alcmaeonianam de bestiarum hominumque differentia doctrinam verterit, plane incertus haerebis (Rohde Psyche 464, 1 extr.). —

Sed latius res patet. Quaerendum est, quae ratio intercedat inter Pythagoreorum societatem totamque scholam medicam Crotoniensem. Cui quaestioni ut viam muniamus, Peterseni (*Studien* pag. XI) coniecturam quandam antea refellamus oportet. Huic enim ab Elothale Coo medico hanc doctrinam Alcmaeo sumpsisse videtur inspicienti Iambl. v. Pyth. 34: *καὶ Μητρόδωρός τε ὁ Θύρσου τοῦ πατρὸς Ἐπιχάρμου καὶ τῆς ἐκείνου διδασκαλίας τὰ πλεῖστα πρὸς τὴν ἰατρικὴν μετενέγκας, ἐξηγούμενος τοὺς τοῦ πατρὸς λόγους πρὸς τὸν ἀδελφόν φησι τὸν Ἐπίχαρμον . . . . τῶν διαλέκτων ἀρίστην λαμβάνειν τὴν Δωρίδα.* Quae verba ita interpretari videtur, ut Metrodorus Epicharmi dicatur frater, qua ex re Thyrso plane neglecto colligit, ambo Elothalis esse filios; nam hic Epicharmi pater fuisse dicitur (Diog. VIII 1, 5; 3, 1). Utut de hoc loco difficillimo[1]) iudicabis, hoc facile intellectu non est, nec quare haec verba ad doctrinam de contrariorum in corpore humano aequitate pertineant, nec quo iure ad Elothalem Peterseuus eam transferat. Neque enim usquam, quod sciam, traditum est medicum Elothalem fuisse; immo ex his ipsis verbis medicam illam quaecumque fuit doctrinam neque ab Epicharmo neque ab Elothale profectam esse elucet, cum diserte dicat Iamblichus Metrodorum demum quae a patre accepisset in medicinae usum vocasse.

Equidem Suidam potius huc advocandum esse censeo narrantem (s. v. *Δημοκήδης*) Democedis Crotoniatae patrem fuisse Calliphontem *ἱερέα γενόμενον ἐν Κνίδῳ*, unde Krischeus (*Forschungen zur alten Philos.* I 72) collata Herodoti de Democedis fatis narratione recte concludit Calliphontem medicum Cnido Crotonem (Herod. III 135 *τῷ πατρί*) emigrasse. Itaque a Calliphonte Cnidio schola Crotoniensis originem duxisse videtur.[2])

1) Cf. Rohdeum (Mus. Rhen. 27, 57) et Nauckium (in edit. sua Petropoli 1884).

2) Haeserus narrat (pag. 101) Eudoxum Cnidium eiusque discipulum Chrysippum, et ipsum Cnidium atque Erasistrati magistrum, ut a Philistione medicina imbuerentur Crotonem profectos esse. Quod si verum, memoriam antiquae cognationis etiam Platonis temporibus servatam esse

Sed sive conditam esse scholam Crotoniensem a Calliphonte credes, sive ad eandem diutius iam florentem postea eum accessisse verius tibi videbitur, hoc constare facile mihi dabis, falso Littréum (Hippocr. I 16) ad Pythagoreos scholae originem revocare. Etenim Democedes, quoniam, cum Polycrates interficeretur (anno 522 a. Chr. n.), quattuor annos domo abesset[1]), anno 525 Crotone fugit. Iam cum illo tempore perfectissimus iam esset medicus (cf. Herod.), etiam antea h. e. intra annos 530 et 525 Crotone aegrotos sanasse putandus est. Itaque Calliphontem patrem eius vel ante haec tempora Crotonem venisse censebimus, et si hunc quoque accessisse tantum ad Crotoniensem scholam diutius iam florentem conicimus, sine dubio conditam eam esse dicamus oportet aliquanto ante 530 a. Chr. n., quo fere anno Pythagoras Polycratem tyrannum fugiens Samo excessisse haud incredibiliter fertur (Diog. Laërt. VIII 30). Itaque quin Littréi coniectura reicienda sit dubitari nequit.

---

putabimus. Sed unde illa sumpserit Haeserus, prorsus nescire me ingenue fateor. Movet suspicionem Laërt. Diog. VIII 8, 1: *τὰ ἰατρικὰ Φιλιστίωνος τοῦ Σικελιωτοῦ διήκουσε* (scil. Eudoxus Cnidius), *καθὰ Καλλίμαχος ἐν τοῖς πίναξί φησι.* Cf. VIII 8, 3. Idem cum alibi (Plut. Symp. VII 1 = Gell. XVII 11, 6; Athen. 115 D; Galen. IV 306 K.) dicatur Locrensis, Locris natum scholaeque medicae Siculae asseclam eum fuisse coniecerim, cuius praeterea novimus sectatores Empedoclem, Pausaniam, Acronem. — Ceterum ut Alcmaeonem atque Democedem, ita Cnidios secandi arte ante omnes insignes fuisse docet Galenus II 900, 15; XV 136 K.; et eosdem ea quoque, quae ad hominis generationem et sexum pertinent, ante ceteras medicinae partes summo studio excoluisse inde patet, quod omnes fere collectionis Hippocraticae de gynaecologia et embryologia libri a Cnidiorum doctrina alieni non esse videntur (de morb. mul., de steril., de his quae ad virginem spectant, d. nat. mul., de genitura, de excis. foet., de superfoet., de septim. partu, de octom. partu).

1) Herod. III 131: *καταστὰς δ' ἐς Αἴγιναν τῷ πρώτῳ ἔτεϊ ὑπερεβάλετο τοὺς ἄλλους ἰητροὺς ἀσκευής περ ἐὼν καὶ ἔχων οὐδὲν τῶν ὅσα περὶ τὴν τέχνην ἐστὶ ἐργαλήϊα. καί μιν δευτέρῳ ἔτεϊ ταλάντου Αἰγινῆται δημοσίῃ μισθοῦνται, τρίτῳ δὲ ἔτεϊ Ἀθηναῖοι ἑκατὸν μνέων, τετάρτῳ δὲ ἔτεϊ Πολυκράτης δυῶν ταλάντων.* — Herodotus cum adeo accurate praemiorum summas enumeret et cetera quoque de Democede diligentissime exponat, his de rebus, cum Thuriis versaretur, ab ipsis medicis Crotoniensibus certior factus esse videtur; nam Crotone eum fuisse e V 44sq. constat. Iam apparet, cur laudibus eosdem cumulet III 131, qui de patriae scholis praeclaris, Cnidia scilicet Coaque, prorsus taceat.

Sed cum Democedes in patriam reversus Milonis Crotoniensis athletae nobilissimi, qui ipse Pythagorae gener fuisse dicitur (Iambl. 287), filiam in matrimonium duxerit (Herod. III 137), Milonem autem Pythagoreum fuisse Iamblichus tradat, cumque idem scriptor Apollonium secutus (cf. 254) Democedem Pythagoreis a Cylone vexatis praefuisse itaque mortem occubuisse narret (pag. 257—261), Krischeus tunc certe non solum ipsum Democedem, sed etiam omnes medicos Crotonienses ei aequales ad Pythagoreorum societatem accessisse contendit.[1]) Sed ut Apollonii historiam veram esse concedamus (quamquam quanta sit Tyanensis fides quis nescit?), movet suspicionem quod neque Herodotus (l. l.) neque Athenaeus (530 B) neque Aelianus (v. hist. VIII 17) neque Dio Cassius (XXXVIII, 18) neque Photius (bibl. 376 a 34) neque Suidas (s. v.) Pythagoreum Democedem nominant. Ne Iamblichus quidem satis sibi constat, cum in enumerandis Crotoniensibus Pythagorae asseclis (pag. 267) Democedem non commemoret. Praeterea haud scio an id quod de Democede Krischeus contendit, in ceteros medicos Crotonienses non valeat. Denique Alcmaeonem certe a Pythagoreis diligentissime segregandum esse docet Aristoteles.

Itaque Crotoniensem medicorum sectam a Pythagoreis secernendam esse putaverim, ita tamen, ut non solum artam amicitiam (cuius Alcmaeonis quoque liber monumentum est), i. e. doctrinae et consuetudinis commercium, inter utrosque intercessisse, sed etiam utriusque sectae asseclis ad alterius societatem accedere licitum esse credamus. Quod Pythagoreos imprimis fecisse ipsa re veri est simillimum. Nam et Crotoniensem ad scholam multo certe expeditior patebat aditus quam ad ipsorum societatem legibus severissimis adstrictam, neque solum qua fuerint πουλυμαθίῃ, sed etiam quantopere medicinae imprimis faverint nemo nescit; cuius tamen artis eam tantum partem excoluisse dicuntur, quae maxime ab hominibus artis imperitis tractari soleat. sc. victus rationem. Verum ne hanc quidem a Pythagoreis Crotonem allatam esse

---

1) Iosephus ca. Apionem I 164 (pag. 30, 25 Niese) etiam Calliphontem Crotoniatam Πυθαγόρου συνουσιαστὴν fuisse narrat. Sed auctore utitur Hermippo, quo de satis habeo ad Dox. Proll. p. 150 te delegare.

putaverim, cum et Cnidiorum secta antiquitus hac potissimum arte valuerit et in ipsa Crotoniatarum urbe inde a remotioribus temporibus vulgarem eam fuisse antiquissima athletarum Crotoniensium gloria ostendat, quae quanto Pythagorae adventum (ca. 530) antecesserit, hac ex Olympionicarum Crotoniensium tabula videas:

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Ol. 27 | (672) | *Δάιππος* | *Κροτωνιάτης* | *πύξ* |
| „ 48 | (588) | *Γλύκων* (sive *Γλαυκίας*) | *Κροτωνιάτης* | *στάδιον* |
| „ 49 | (584) | *Λυκῖνος* | *Κροτωνιάτης* | *στάδιον* |
| „ 51 | (576) | *Ἐρατοσθένης* | „ | „ |
| „ 54 | (564) | *Ἱππόστρατος* | „ | „ |
| „ 55 | (560) | „ | „ | „ |
| „ 58 | (548) | *Διογένης* | „ | , |
| „ 60 | (540) | *Μίλων* | „ | *πάλην παίδων* |
| „ 62 | (532) | „ | „ | *πάλην* |
| „ 63 | (528) | „ | „ | „ |
| „ 64 | (524) | „ | „ | „ |
| „ 65 | (520) | „ | „ | „ |
| „ 66 | (516) | „ | „ | „ |
| „ 67 | (512) | *Τιμασίθεος* | „ | „ |
| „ 68 | (508) | *Ἰσόμαχος* (sive *Ἰσχόμαχος*) | *Κροτωνιάτης* | *στάδιον* |
| „ 69 | (604) | „ „ | „ | „ „ |
| „ 71 | (496) | *Τισικράτης* | *Κροτωνιάτης* | *στάδιον* |
| „ 72 | (492) | „ | „ | „ |
| „ 73 | (488) | *Ἄστυλος* | „ | *στάδιον καὶ δίαυλον* |
| „ 74 | (484) | „ | „ | „ „ „ |
| „ 75 | (480) | „ | „ | „ „ „ |

Quibus addendi sunt Philippus (Her. V 47; ca. annum 520) et †athletes (Aelian. v. h. IX 31). Phayllus (Herod. VIII 47) *τρὶς Πυθιονίκης* erat. —

De posterioribus medicis Crotoniensibus cum hucusque nil notum fuisset, felicissimo nuper casu factum est, ut in Menoneis fragmentis Philolai et Hipponis Crotoniatarum memoria in lucem prodiret. Exstant de Philolao haec (Supplem. Aristot. III 1 col. XVIII 8 pag. 31 Diels): *Φιλόλαος δὲ ὁ Κροτωνιάτης* (cf. VIII 7, 1) *συνεστάναι φησὶ τὰ ἡμέτερα σώματα ἐκ θερμοῦ. ἀμέτοχα γὰρ αὐτὰ εἶναι ψυχροῦ, ὑπομιμνήσκων ἀπό τινων τοιούτων· τὸ σπέρμα εἶναι θερμόν, κατασκευαστικὸν*

δὲ τοῦτο τοῦ ζῴου· καὶ ὁ τόπος δέ, εἰς ὃν ἡ καταβολή — μήτρα δὲ αὕτη —, ἐστὶν θερμοτέρα καὶ ἐοικυῖα ἐκείνῳ· τὸ δ' ἐοικός τινι τἀτὸ δύναται ᾧ ἔοικεν. ἐπεὶ δὲ τὸ κατασκευάζον ἀμέτοχόν ἐστι ψυχροῦ καὶ ὁ τόπος δέ, ἐν ᾧ ἡ καταβολή. ἀμέτοχός ἐστιν ψυχροῦ, δῆλον ὅτι καὶ τὸ κατασκευαζόμενον ζῷον τοιοῦτον γίγνεται. εἰς δὲ τούτου τὴν κατασκευὴν ὑπομνήσει προσχρῆται τοιαύτῃ· μετὰ γὰρ τὴν ἔκτεξιν εὐθέως τὸ ζῷον ἐπισπᾶται τὸ ἐκτὸς πνεῦμα ψυχρὸν ὄν· εἶτα πάλιν καθαπερεὶ χρέος ἐκπέμπει αὐτό. διὰ τοῦτο δὴ καὶ ὄρεξις τοῦ ἐκτὸς πνεύματος, ἵνα τῇ ἐπεισάκτῳ τοῦ πνεύματος ὁλκῇ θερμότερα ὑπάρχοντα τὰ ἡμέτερα σώματα πρὸς αὐτοῦ καταψύχηται. καὶ τὴν μὲν σύστασιν τῶν ἡμετέρων σωμάτων ἐν τούτοις φησίν· λέγει δὲ γίνεσθαι τὰς νόσους διά τε χολὴν καὶ αἷμα καὶ φλέγμα, ἀρχὴν δὲ γίνεσθαι τῶν νόσων ταῦτα· ἀποτελεῖσθαι δέ φησι τὸ μὲν αἷμα παχὺ μὲν ἔσω παραθλιβομένης τῆς σαρκός, λεπτὸν δὲ γίνεσθαι διαιρουμένων τῶν ἐν τῇ σαρκὶ ἀγγείων. τὸ δὲ φλέγμα συνίστασθαι ἀπὸ τῶν ὄμβρων φησί. λέγει δὲ τὴν χολὴν ἰχῶρα εἶναι τῆς σαρκός. παράδοξον δὲ αὐτὸς ἀνὴρ ἐπὶ τούτου κεινεῖ. λέγει γὰρ μηδὲ τετάχθαι ἐπὶ τῷ ἥπατι χολήν, ἰχῶρα μέντοι τῆς σαρκὸς εἶναι τὴν χολήν· τό τ' αὖ φλέγμα τῶν πλείστων ψυχρὸν εἶναι λεγόντων αὐτὸς θερμὸν τῇ φύσει ὑποτίθεται· ἀπὸ γὰρ τοῦ φλέγειν φλέγμα εἰρῆσθαι· ταύτῃ δὲ καὶ τὰ φλεγμαίνοντα μετοχῇ τοῦ φλέγματος φλεγμαίνει. καὶ ταῦτα δὴ ἀρχὰς τῶν νόσων ὑποτίθεται, συνεργὰ δὲ ὑπερβολάς τε θερμασίας, τροφῆς, καταψύξεως ἢ ἐνδείας τῶν τούτοις παραπλησίων.

Heracliti auctoritate factum esse apparet, ut Philolaus numerandus sit inter τοὺς ὑπόθεσιν αὐτοὺς αὐτοῖς ὑποθεμένους τῷ λόγῳ θερμὸν ἢ ψυχρὸν ἢ ξηρὸν ἢ ὑγρὸν ἢ ἄλλ' ὅ τι ἂν ἐθέλωσι, quos Alcmaeonianae doctrinae asseclis opponi ab auctore de prisca medicina pag. 81 vidimus. Neque tamen ille sibi constat ut eclecticus, immo eo certe ab eis dissentit, quod ad morbi originem explicandam sucos advocare mavult; sed utpote Hippocraticus magis quam Alcmaeonianus tetrade eorum acquiescit. Qua in re argutias profert[1]), quales philosophum potius quam medicum redoleant maximeque recedant ab ea qua Alcmaeo utitur via ac ratione.

1) Cf. Dielesium Herm. XXVIII 419.

Sed non Philolaum solum, verum ne reliquos quidem Crotonienses medicos a philosophorum nugis abstinuisse luculentissime apparet ex eis quae de Hippone narrat excerptor Menoneus (col. XI 22 pag. 17 Diels): *Ἵππων δὲ ὁ Κροτωνιάτης οἴεται ἐν ἡμῖν οἰκείαν εἶναι ὑγρότητα, καθ' ἣν καὶ αἰσθανόμεθα καὶ ᾗ ζῶμεν· ὅταν μὲν οὖν οἰκείως ἔχῃ ἡ τοιαύτη ὑγρότης, ὑγιαίνει τὸ ζῷον, ὅταν δὲ ἀναξηρανθῇ, ἀναισθητεῖ τε τὸ ζῷον καὶ ἀποθνήσκει. διὰ δὴ τοῦτο οἱ γέροντες ξηροὶ καὶ ἀναίσθητοι, ὅτι χωρὶς ὑγρότητος· ἀναλόγως δὴ τὰ πέλματα ἀναίσθητα, ὅτι ἄμοιρα ὑγρότητος. καὶ ταῦτα μὲν ἄχρι τούτου φησίν· ἐν ἄλλῳ δὲ βυβλίῳ αὐτὸς ἀνὴρ λέγει τὴν κατωνομασμένην ὑγρότητα μεταβάλλειν δι' ὑπερβολὴν θερμότητος καὶ δι' ὑπερβολὴν ψυχρότητος καὶ οὕτως νόσους ἐπιφέρειν. μεταβάλλειν δέ φησιν αὐτὴν ἢ ἐπὶ τὸ πλεῖον ὑγρὸν ἢ ἐπὶ τὸ ξηρότερον ἢ ἐπὶ τὸ παχυμερέστερον ἢ ἐπὶ τὸ λεπτομερέστερον ἢ εἰς ἕτερα. καὶ τὸ αἴτιον οὕτως νοσολογεῖ, τὰς δὲ νόσους τὰς γιγνομένας οὐχ ὑπαγορεύει.*

Vides Hipponem quoque esse ex eis, in quos invehitur auctor de prisca medicina, sed eo acerbius Philolao eum se gerere, quod in morborum origine explicanda recurrit ad *τὸ ὑγρόν*, variis sucorum generibus plane neglectis. Itaque quam semel Thaletem secutus de humido omnium rerum principio sententiam veram esse sibi persuasit, in ea constanter permansit. Hac ab opinione praeiudicata petendum esse puto, quod etiam sensuum perceptionem ab humido illo pendere vult, praesertim cum animam quoque liquorem esse doceat; neque assentiar Dielesio (Herm. XXVIII 421), qui ex uno illo de oculi humida natura placito Alcmaeonis hoc Hipponis dictum profectum esse existimat. Recte tamen Dielesius eodem et physiologiae et psychologiae studio Hipponem cum Alcmaeone iunctum esse annotat. Omnino notandum ea, quae medicinae propiora magisque a philosophia remota sunt, minus distare ab Alcmaeonianis, ita ut idem de Philolai quoque placitis ignotis conici liceat. Consentiunt caput primum in foetu oriri, quam ad opinionem ea re uterque adductus est, quod in capite animi principale inesse persuasum habet (Censor. d. die nat. 6, 1). Quod ipsum placitum num e poris Alcmaeonianis Hippo coegerit, dubito. Etenim cum ut omnes res ita semen quoque,

si universe rem tractes, ex humido oriri credat, sin singula quaeras, e medullis semen profluere ei constet (Cens. d. die nat. 5, 2), semen autem *πρώτην ψυχὴν* (Arist. de anima I 2, 405 b 5) esse existimet, fieri potuit, ut animam non solum aquam esse diceret, sed etiam cerebrum (Hippolytus philosophumena I 16 = Dox. 566, 22): hoc enim longe nobilissimum inter omnia medullae genera. — Denique de infantium genere Plutarchus Dox. 420 a 17 tradit haec: *Ἱππῶναξ εἰ μὲν ἡ γονὴ κρατήσειεν ἄρρεν, εἰ δ' ἡ τροφὴ θῆλυ*[1]), simillima Alcmaeonianis, nisi quod, cum mulieres vel nullum (Cens. 5, 4) vel inutile (Plut. V 5, 3) semen emittere putet, seminis loco muliebris nutritionem in alvo foetui oblatam posuit.

Haec sunt quae de nobilissima Crotoniensium secta comperi. Licet conicere Brontinum nec non Hippasum, qui Crotoniatae dicuntur eidemque Metapontini[2]), ex medicorum illorum numero fuisse.

Sed mittamus Crotoniatas. Iam Hippocratici quid singulis in rebus perquirendis (de sensibus praecipue) Alcmaeoni deberent, suo quidque loco exposuimus (pag. 39. 43. 51. 68. 72). Attamen cum pag. 82 patrem medicinae graecae Alcmaeonem esse invenerimus, quaeramus oportet, quantum illius de morbis placitum ad ceterorum medicorum hac de re doctrinas excolendas valuerit. Sed quamquam cum in libris Hippocraticis

---

1) Longe alia idem Plutarchus tradit Dox. 419 a 24: *Ἱππῶναξ παρὰ τὸ συνεστὸς ἢ* (malim *τε*) *καὶ ἰσχυρὸν ἢ παρὰ τὸ ῥευστικόν τε καὶ ἀσθενέστερον σπέρμα.* At movet suspicionem, quod eodem in capite eiusdem scriptoris eadem de re duo proferuntur placita. Itaque alterum lemma calami lapsu confusum esse ratus equidem 419 a 24 pro *Ἱππῶναξ* scripserim *Ἱπποκράτης*, collatis libri de generat. c. 6 his (VII 478, 5 L.): *ἢν μὲν ἀπ' ἀμφοτέρων τὸ σπέρμα ἰσχυρότερον ἔλθῃ, ἄρσεν γίνεται· ἢν δὲ ἀσθενές, θῆλυ.* Idem de nat. pueri 31 (VII 540, 25 L.): *ἐς ὁκότερον τῶν κόλπων τύχῃ ἡ γονὴ παχυτέρη καὶ ἰσχυροτέρη ἐσιοῦσα, κεῖθι ἄρσεν γίνεται· ἐς ὁκότερον δ' αὖ ὑγροτέρη καὶ ἀσθενεστέρη, κεῖθι θῆλυ γίνεται· ἢν δ' ἐς ἄμφω ἰσχυρὴ εἰσέλθῃ, ἄμφω ἄρσενα γίνεται, ἢν δὲ ἀσθενὴς ἐς ἄμφω, ἄμφω θήλεα γίνεται.* Erroris Censorino antiquioris (l. l. 6, 4; Dox. p. 191) culpa non Aëtio tribuenda esse videtur, sed vetustorum placitorum auctori, quippe qui et Aëtii (h. e. Plutarchi) et Varronis (h. e. Censorini) communis auctor fuerit (Dox. proll. 201).

2) De Hippaso vide Iambl. d. vit. Pyth. 81 coll. 267; de Brontino Iambl. 132 et 267 coll. Laërt. Diog. VIII 1, 22; 2, 2; 5, 2.

tum in Menoneis excerptis haud pauca exstant de morborum origine placita, tamen quid unusquisque medicus ex ipsius Alcmaeonis libro hauserit, monstrari posse despero. Per species autem eos dividere si licet, compluria evadunt medicorum genera, quae quantopere Alcmaeonem imitata sint, quantopere ab eo recedant, facile patet.

Primi accuratissime Alcmaeonem secuti et ipsi sucorum multitudinem professi sunt, quantum novimus, Eryximachus Platonicus (pag. 79) atque auctor de prisca medicina (pag. 80) quique eum praecedunt (*οἱ παλαιοί*), inter quos nescio an habendus sit Empedocles (pag. 78). Etiam Platonis vel Socratis temporibus hos medicos floruisse Lysidis quoque Platonici pag. 215 E nos docet (pag. 80). Qui omnes simplices sucos ut a plantis e solo, ita ab hominibus e cibis extrahi semperque hominibus inesse neque quidquam nocere nisi harmonia turbata cum Alcmaeone credunt.

Iam reliqui medici excoqui quovis modo putant e cibis eorumque sucis simplicibus humores quosdam hominum bestiarumque proprios, a plantis autem alienos[1]), scil. *φλέγμα χολήν* etc., quorum varia distinguunt genera.[2]) Qui omnes certum humorum numerum, vel duo vel tres vel quattuor, ad morbos efficiendos valere putant. Atque *χολὴν* et *φλέγμα* morborum causas dicunt auctores de morbis I (c. 2 = VI 142, 13 L.) et de affectibus (c. 1 = VI 208, 7) nec non ex Menoneis Dexippus (col. XII 9); *χολὴν φλέγμα αἷμα* Philolaus (Menon. col. XVIII 9) et auctor (ut videtur) de hebdom. (c. 52 = VIII 672); *χολὴν φλέγμα αἷμα ὕδωρ* (vel *ὕδρωψ*) de morbis IV (c. 32 = VII 542, 6)

1) Itaque horum in libris raro fit mentio qualitatum illarum Alcmaeonianarum: de flat. c. 10 (VI 106, 4 L.) *φλέγμα δριμέσι χυμοῖσι μεμιγμένον*; de alim. c. 25 (IX 106, 12 L.) *ἐν φλέγματι, ἐν χολῇ, ἐν χυμοῖσιν*; de hebdom. c. 10 (VIII 638 extr.) 'humores, sanguis, colera amara'. Plato (Tim. 82 E) sanguinem *πικρότησι, ἔτι δὲ ὀξείαις καὶ ἁλμυραῖς δυνάμεσιν ποικιλλόμενον* esse dicit.

2) Plato Tim. 83 C de colerae generibus quibusdam locutus *καὶ τὸ μὲν κοινὸν ὄνομα πᾶσι τούτοις ἤ τινες ἰατρῶν που χολὴν ἐπωνόμασαν ἢ καί τις ὢν δυνατὸς εἰς πολλὰ μὲν καὶ ἀνόμοια βλέπειν, ὁρᾶν δὲ ἐν αὐτοῖς ἓν γένος ἐνὸν ἄξιον ἐπωνυμίας πᾶσιν.* Cf. Hipp. d. affect. int. c. 20 (VII 214, 18): *περὶ τοῦ φλέγματος τὰς αὐτὰς γνώμας ἔχω, ἃς καὶ περὶ χολῆς, ἰδέας αὐτοῦ πολλὰς εἶναι.*

et de gener. (c. 3 = VII 474, 7); *αἷμα χολὴν πνεῦμα φλέγμα* Menecrates (Men. col. XIX 11); *πνεῦμα φλέγμα χολήν* Plato Tim. pag. 84 D; *αἷμα, φλέγμα, χολὴν μέλαιναν, χολὴν ξανθήν* auctor de nat. hom. (c. 4 = VI 38, 19; c. 5 = VI 40, 16 L.) et Polybus (Men. col. XIX 5).[1]) Posterioribus autem temporibus dyade ac triade spretis sola increbruit Polybi tetras. Quod inde repetendum videtur, quod cum sucos distinguerent non solum *χρώμασι*, verum etiam *τῷ θερμῷ καὶ ψυχρῷ καὶ ξηρῷ καὶ ὑγρῷ* (de nat. pueri c. 5 = VI 42, 4), et sanguinem calidum, coleras tepidas, pituitam (excepto Philolao) frigidam censerent[2]), e qualitatibus elementariis sucos quattuor elementis respondere coniciebant. Quod cum iam ex Aristotelis (pag. 79), Menecratis (Men. col. XIX 11), Philistionis doctrinis eluceat, clarissime ostendit Galenus de plac. Hipp. et Plat. pag. 679 Müller: *πυρὶ μὲν ἀνάλογον ἡ ξανθὴ χολή, ἡ δὲ μέλαινα τῇ γῇ, τὸ δὲ φλέγμα τῷ ὕδατι. καὶ διὰ τοῦτο θερμὴ μὲν καὶ ξηρὰ τὴν δύναμίν ἐστιν ἡ ξανθὴ χολή, καθάπερ τὸ πῦρ, ψυχρὰ δὲ ἡ μέλαινα καὶ ξηρὰ παραπλησίως τῇ γῇ, τὸ δὲ φλέγμα ψυχρὸν καὶ ὑγρὸν ὥσπερ τὸ ὕδωρ.*

Quorum plerique a corporis singulis partibus singulos humores excoqui eodem modo putasse videntur quo auctor de morb. IV (c. 33 = VII 544, 7 L.), qui stomachum quattuor sucorum fontibus sua cuique tribuere vult: *τῷ μὲν αἵματι ἡ καρδίη πηγή ἐστι, τῷ δὲ φλέγματι ἡ κεφαλή, τῷ δὲ ὕδατι ὁ σπλήν, τῇ δὲ χολῇ τὸ χωρίον τὸ ἐπὶ τῷ ἥπατι.* Qualis his locis fiat commutatio, docet Aristoteles Met. H 4 p. 1044 a 18: *φλέγματός ἐστι πρώτη ὕλη τὰ γλυκέα ἢ λιπαρά, χολῆς δὲ τὰ πικρὰ ἢ ἀλλ' ἄττα*[3]), quo de accuratius paullo post (21): *φλέγμα (γίγνεται) ἐκ λιπαροῦ καὶ γλυκέος, εἰ τὸ λιπαρὸν ἐκ γλυκέος.* His quoque in humoribus omnis potestas penes

1) Nisi ipse Polybus auctor est libri de nat. hom. Nam Polybo tribuendam esse venarum illam descriptionem libro de nat. hom. (c. 11) inclusam narrat Aristoteles (hist. an. III 3 pag. 512 b 12), cuius verbis sunt consona quae supra dixi. Cf. pag. 100 annot. 1.

2) De morb. I 24 (VI 188, 19 L.); de nat. hom. 7 (VI 46, 11; 48, 3); Menecrates (Men. l. l.).

3) Similiter auctor de affect. 55 (VI 266, 2 L.): *τὰ λιπαρὰ καὶ τὰ πίονα καὶ τὰ γλυκέα ὑγρασίην καὶ φλέγμα παρέχει.*

harmoniam vel disharmoniam: *τὸ σῶμα τοῦ ἀνθρώπου ἔχει ἐν ἑωυτῷ αἷμα καὶ φλέγμα καὶ χολὴν ξανθήν τε καὶ μέλαιναν καὶ ταῦτ᾽ ἐστὶν αὐτῷ ἡ φύσις τοῦ σώματος καὶ δι᾽ αὐτὰ ἀλγεῖ καὶ ὑγιαίνει. ὑγιαίνει μὲν οὖν μάλιστα, ὅταν μετρίως ἔχῃ ταῦτα πρὸς ἄλληλα δυνάμιος καὶ τοῦ πλήθεος καὶ μάλιστα μεμειγμένα ᾖ· ἀλγεῖ δ᾽ ὅταν τούτων τι ἔλασσον ἢ πλεῖον χωρισθῇ ἐν τῷ σώματι καὶ μὴ κεκρημένον ᾖ τοῖσι πᾶσι* (de nat. hom. 4 = VI 38, 19 L.). Ipsis igitur sucis nil inesse videtur noxii. Itaque non mirum quod non solum *γινομένοισι συγγίγνεται καὶ ἔνι ἀεὶ ἐν τῷ σώματι πλέον ἢ ἔλασσον* (de morb. I 2 = VI 142, 15)[1], sed etiam in semine iam insunt (de morb. IV 32 = VII 542, 9 L.). Vides hos medicos cum Alcmaeone consentire de humorum qualitate innoxia, dissentire et de origine et natura et numero.

Porro longius ab eodem distant ei qui e ciborum residuis abundantibus (*τὰ περισσώματα*) morbos oriri volunt, sive unum sive plures humores nocentes ex eis nasci opinantur. Patet enim eiusmodi humores non ab initio corpori inesse, sed postea gigni eosque *παρὰ φύσιν*. Quam sententiam cum multorum medicorum fuisse doceat auctor Menoneus, satis habeo ad Herodici Cnidii (col. IV 40) placitum te delegare, cui simillima est Timothei Metapontini opinio (Menon. col. VIII 10), quacum confert Dielesius auctorem de loc. in hom. 1 (VI 276, 12 L.).

Praeterea non desunt qui philosophorum de uno corporis elemento ineptias secuti[2]) unum in corpore humorem esse

---

1) *Ἔχει μὲν οὖν πάντα* (scil. *φλέγμα, χολὴν ξανθήν, χολὴν μέλαιναν, αἷμα*) *ἀεὶ τὸ σῶμα τοῦ ἀνθρώπου* (de nat. hom. c. 7 = VI 48 L.).

2) De nat. hom. 1 (VI 32, 1 L.): *ὅστις μὲν οὖν εἴωθεν ἀκούειν λεγόντων ἀμφὶ τῆς φύσιος τῆς ἀνθρωπείης προσωτέρω ἢ ὅσον αὐτῆς ἐς ἰατρικὴν ἀφήκει, τούτῳ μὲν οὐκ ἐπιτήδειος ὅδε ὁ λόγος ἀκούειν. οὔτε γὰρ τὸ πάμπαν ἠέρα λέγω ἄνθρωπον εἶναι οὔτε πῦρ οὔτε ὕδωρ οὔτε γῆν οὔτε ἄλλο οὐδὲν ὅ τι μὴ φανερόν ἐστιν ἐνεὸν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ· ἀλλὰ τοῖσι βουλομένοισι ταῦτα λέγειν παρίημι.* Quibus opponuntur *οἱ ἰητροί* (c. 2 init.). Hos inter medicos nimis philosophiae deditos numerandi sunt Philolaus et Hippo, quos veros medicos non fuisse et Philolai de pituita et colera sententiae et Menonei scriptoris quae Hipponis verbis adduntur voces *καὶ τὸ αἴτιον οὕτως νοσολογεῖ, τὰς δέ νόσους τὰς γιγνομένας οὐχ ὑπαγορεύει* clarissime ostendunt. Ne ea quidem quae Heraclitum secutus de *πολυμαθημοσύνῃ* dixit Hippo (Athen. 610 B) medicum redolere videntur.

doceant, eius tamen naturae, ut per calidi vel frigidi vim multifarias naturas induere possit. E. gr. auctor de hebdomadis 18 (VIII 642) unum in corpore humorem inesse ratus sucorum tetradem minime spernit (c. 52 = VIII 672). Hos impugnant et auctor de nat. hom. (l. l.) et Polybus[1]) (Men. col. XIX 5) nec non Plato (Tim. 82 A: *ἐπειδὴ γένη πλείονα ἑνὸς ὄντα τυγχάνει*). Qui quantum discrepent ab Alcmaeone facile visu.

Denique sunt qui plurimum ab Alcmaeone recedentes *ἀπὸ τῆς χολῆς νόσους γίνεσθαι* nolunt, immo *ἀπὸ τῶν νόσων τὴν χολήν*. Sic Petro (Menon. col. XX 1), quocum comparatur Philolaus qui coleram esse negat nisi *ἀχρείαν*, quam *ἰχῶρα τῆς σαρκὸς* esse contendit. Cui unice aptus est Plato (Tim. 82 E sqq.) qui et coleras et pituitam *τηκεδόνας τῆς σαρκὸς* esse exponit (cf. Thrasymachum Sardium Menon. col. XI 42) easque *παντὶ χαλεπὰς τοῦ σώματος* dicit (Tim. 83 A). Sed haec hactenus. —

Unum restat, ut quanti philosophi posteriores Alcmaeonem fecerint ostendam. Atque Empedoclem quidem de aurium structura (pag. 42) simillima, de oculorum (pag. 49) plane eadem quae Alcmaeonem protulisse supra vidimus. Idem de semine mulierum (pag. 63) et de corporis nutritione (pag. 78) cum Alcmaeone consentit. Gravissimum autem est quod nuper Bidezius (*Archiv f. Gesch. d. Philos. IX* 2 [*N. F. II 2*] pag. 192 sqq.) doctissime exposuit de quaerendi methodo ac ratione Empedoclea. Nam Empedoclis methodus maxime abhorret et a Xenophane omnibus de rebus dubitante et ab Heraclito et Parmenide negantibus ullam esse scientiam nisi e ratione ortam. Esse enim profitetur hominum quoque scientiam, circumcisam illam quidem et vitae brevitate et aliis malis humanis, satis tamen firmam, si modo parvis contenti nolimus hariolari sola freti ratione, immo singula omnium sensuum ope accuratissime investigare nos non pudeat. Quam viam cum sese secuturum esse diserte dicat, ab eadem tamen ipse saepissime decedat, alius cuiusdam philosophi auctoritate factum esse videtur, ut ad eam adduceretur. Iam cum Alcmaeonis scrinia eum compilasse constet, recte digitum intendit Bidezius in eiusdem verba nobilissima: *περὶ τῶν ἀθηήτων σα-*

1) Cf. pag. 98 annot. 1.

φηνείην μὲν θεοὶ ἔχουσι, ὡς δὲ ἀνθρώποις τεκμαίρεσθαι κτλ. Ipsum autem Alcmaeonem Xenophanis scrupulis ac dubitationibus hanc ad opinionem adductum esse vix concesserim; nam et fragmenti XIV M. (καὶ τὸ μὲν οὖν σαφὲς κτλ.) ratio alia est (cf. pag. 36) et medicae artis naturae propria ac quasi innata esse illa sententia videtur; rectius igitur monet Bidezius de libri de prisca medicina (§§ 1. 20) similitudine (cf. pag. 39).

Iam Anaxagoras sensus simili modo τῷ μὴ ὁμοίῳ fieri docet, qua de re accuratius vidimus pag. 54. Porro bestiis homines, quibus maior mentis (τοῦ νοῦ) vis concessa est (Zeller I[5] 991. 1010), praestare docet μνήμῃ ἐμπειρίᾳ τέχνῃ σοφίᾳ.[1]) Iam cum sint Aristotelis nonnulli loci, quibus doctrina illa Alcmaeoniana e Platonis Phaedone nota aperte retractetur[2]), ita tamen ut ubi Plato vel Alcmaeo δόξαν posuerant, ibi Aristoteles ἐμπειρίαν (cf. Anaxagoram), ubi illi ἐπιστήμην, ibi hic τέχνην καὶ ἐπιστήμην (cf. Anaxagoram) diceret, verisimillime conici potest, etiam Anaxagoram decretum illud Alcmaeonianum professum esse.[3]) — Manifestus in embryologicis consensus. Semen etiam feminas emittere uterque credit; de pullo quid putaverit Anaxagoras docent Crameri anecdota Parisina IV 274, 14: Ἀναξαγόρας ἐν τοῖς ἠθικοῖς [scrib. φυσικοῖς] αὐτοῦ ὀρνίθων γάλα τὸ ἐν τοῖς ᾠοῖς λευκὸν εἶναί φησι; idem Athenaeus II 57 D. Denique in foetu oriundo et ipse cerebrum primum formari censet (Censor. d. d. n. VI 1), quippe in quod omnes finiantur sensus.

---

1) Plut. d. fort. c. 3 pag. 98 F: ... ἐν πᾶσι τούτοις ἀτυχέστεροι τῶν θηρίων ἐσμέν, ἐμπειρίᾳ δὲ καὶ μνήμῃ καὶ σοφίᾳ καὶ τέχνῃ κατὰ Ἀναξαγόραν σφῶν (ἔργῳ Sauppius *Ausgewählte Schriften* pag. 780; *fort.* ἐρίῳ Bernardakis) τ' αὐτῶν χρώμεθα καὶ βλίττομεν καὶ ἀμέλγομεν κτλ.

2) Anal. post. II 19, 100 a 3; Met. A 1, 980 a 27 coll. b 27. Cf. h. diss. pag. 40, 1.

3) Fuit cum putarem Phaedonis illum locum ab Anaxagora potius ipso petiisse originem. Nam Clazomenius quoque mentem in cerebro ponit eoque sensus finiri docet teste Censorino, atque optime quadrat παρέχειν illud Platonicum (cf. pag. 40), quoniam ad sensus percipiendos non sensoriis modo, verum etiam mente nos egere persuasum habet (Dox. 510, 10; 507, 20). At recte monet Kalbfleischius eis philosophis, de quibus agitur p. 96 B, opponi potius Anaxagoram a Platone (p. 97 C).

Ne a Democrito quidem aliena sunt Alcmaeonis placita. Etenim ille quopiam modo (nam res non satis perspicua) in cerebro animae sedem esse putavit (si Theodoreto fides est, cf. Dox. 391 a 3 et notas), ipse atomorum doctrinae aperte adversatus. Quod cognitionis facultate sapientes bestiis, sapientibus deos longe praestare vult, habes coniuncta Alcmaeonis fragmenta I et II. In eis quae ad medicinam spectant congruunt de semine, quod mares non magis quam feminas effundere persuasum habent. Praeterea de mularum sterilitate opiniones proferunt simillimas (pag. 226 Mullach). Gravissimum autem est, quod etiam conclamatae illius de poris doctrinae, quam Democritus nec non Empedocles (de quo iam Philippsonus monet Ὕλη ἀνθρωπ. pag. 21) excoluerunt, semina ac fundamenta aperte latent in poris Alcmaeonianis, quoniam e sensuum poris profectam eam esse ipsa res docet. Quod vero in foetus natura depingenda spongiae imagine usus est Crotoniata, manifesta habemus initia doctrinae illius atomisticae.

103

# Index.

## I. Prima pars: De Alcmaeonis aetate, vita, libro.



## II. Altera pars: Fragmenta.

### III. Tertia pars: Quae ratio intercedat inter Alcmaeonem ceterosque Graecorum medicos et philosophos.



## Res memorabiliores. Loci, qui aut emendantur aut defenduntur.

# Übersicht

der im ersten Halbjahr 1896

von

# B. G. TEUBNER IN LEIPZIG

versandten

## neuen Bücher, Fortsetzungen

und **neuen Auflagen.**

## I.

## Philologie und Altertumswissenschaft.

**Apollonius'** von Kitium illustrierter Kommentar zu der hippokrateischen Schrift περὶ ἄρθρων. Herausg. von Hermann Schöne. Mit 31 Lichtdrucktafeln. [XXXIX u. 35 S.] 4. geh. n. ℳ 10.—
Voranzeige s. Mitteilungen 1896 Nr. 1, S. 1.

**Batrachomachia,** die Homerische, des Karers Pigres nebst Scholien und Paraphrase. Herausgegeben und erläutert von Arthur Ludwich. [VI u. 484 S.] gr. 8. geh. n. ℳ 20.—
Voranzeige s. Mitteilungen 1895 Nr. 3, S. 65.

**Benseler, Dr. Gustav Eduard,** griechisch-deutsches Schulwörterbuch zu Homer, Herodot, Aeschylos, Sophokles, Euripides, Thukydides, Xenophon, Platon, Lysias, Isokrates, Demosthenes, Plutarch, Arrian, Lukian, Theokrit, Bion, Moschos und dem Neuen Testamente, soweit sie in Schulen gelesen werden. A. u. d. T.: Griechisch-deutsches und deutsch-griechisches Schulwörterbuch. I. Zehnte, vielfach verbesserte Auflage, besorgt von Dr. Adolf Kaegi, Professor an der Universität Zürich. [XII u. 929 S.] Lex.-8. geh. ℳ 6.75; in Halbfranz geb. ℳ 8.—
Voranzeige s. Mitteilungen 1896 Nr. 1, S. 5.

**Commentationes philologae Ienenses.** Ediderunt seminarii philologorum Ienensis professores. Vol. VI. 2 fascc. Fasc. I. [III u 133 S] gr. 8. geh. n. ℳ 5.20.

**Drerup, Engelbertus,** de Isocratis orationibus iudicialibus quaestiones selectae. Commentatio ex supplemento vicesimo secundo annalium philologicorum seorsum expressa. [37 S.] gr. 8. geh. n. ℳ 1.60.
Voranzeige s. Mitteilungen 1895 Nr. 6, S. 160.

**Englert, Dr. Sebastian,** Kgl. Gymnasial-Professor, kurzgefaſste Inhaltsangabe der Aeneide. Zum Gebrauch beim Unterrichte. [12 S.] 8. geh. n. ℳ —.20.
Voranzeige s. Mitteilungen 1896 Nr. 1, S. 7.

**Gardthausen, V.,** Augustus und seine Zeit. In 3 Theilen. I. Theil. II. Band (Mit Titelbild.) [V u. S. 483–1032.] gr. 8. geh. n. ℳ 12.—
II. Theil. (Anmerkungen.) II. Halbband. [S. 277–619.] gr. 8. geh. n. ℳ 9.—
Voranzeige s. Mitteilungen 1896 Nr. 2, S. 35.
Band I, 1 (n. ℳ 10.—) und II, 1 (n. ℳ 6.—) erschienen 1891

